VETUS LATIUM PROFANUM

TOMUS OCTAVUS

IN QUO AGITUR

DE TUSCULANIS ET ALGIDENSIBUS

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.



ROMÆ. CIↃIↃCCXLII.

Excudebant BERNABÒ, & LAZZARINUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI

FRANCISCO BVRGHESIO

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO

JOSEPHUS ROCCUS VULPIUS SOCIETATIS JESU
Felicitatem.



USCULANORUM, *atque Algidensium, qui fuere Tusculanis contermini, vetera Monumenta editurus*, FRANCISCE BURGHESIE *Cardinalis Amplissime, Tuo illa nonnisi Nomini inscripta emittere, quare*

apud me constituerim, jure optimo latere neminem existimaverim. Quis enim Burghesiam Gentem, atque adeo Familiam Tuam Generosissimam, Tusculanæ hodiernæ magnificentiæ, amœnitatis, deliciarum, partem potissimam esse, ignoraverit? Splendididissimas, inquam, Villas a Majoribus Tuis excitatas, easdemque excultissimas, quæ rusticantem Romam in Tusculano usque adeo sui admiratione defigunt, & suspensam detinent; ut pedem obtutumque ab illis avellere, diuturnam ipsam post earum contemplationem, nonnisi ægerrime patiatur. Certe si nostræ hujusce ætatis aliquid in hoc genere cum Antiquorum magnificentia, molibus, amœnitate, lautitia, copia, opibus, deliciis denique omnibus, certare videatur; Burghesium id Tusculanum erit procul dubio. Sive enim vastarum villarum ingentes moles & substructiones inspexeris; sive earum ipsarum copiosissimos apparatus; sive Hortos cultissimos,

simos,

ſimos, in quibus Pomonæ ac Floræ certamen; ſeu immenſas, ex alia in aliam villam, arboribus hinc atque hinc tonſilibus, ac pro muro veluti conſtitutis, ambulationes, & geſtationes, protectaque a ſolibus itinera, vel ipſo oculo dimetiri conatus fueris; ſeu topiarios in viridariis mira artis excellentia compoſitos luſus aſpexeris; ſive denique ornithonas, leporaria, cicurum, ac ferarum etiam beſtiarum ſepta attenderis; Lucullanarum in hoc ipſo Tuſculano Deliciarum inſtar multum in Burgheſiis Villis inveneris. Nam ad amplitudinem quod attinet, quæ in Lucullanis pene incredibilis memoratur; Burgheſia ipſa Prætoria Lucullæis ut conceſſerint; attamen Burgheſiana prædia, atque adeo oppida, quæ Tuſculanis villis continuantur, exculta hæc eadem pene villarum in modum, Veterum ſane Prætoriorum Lucullanorum, quantumvis ampliſſimorum, ſpatia prætergrediuntur. Montes, dico

Por-

Porcium & Compatrum, Gentis Tuæ, Cardinalis amplissime, in ditione positos in Tusculano; quorum in agris felix illud est Cereris revera, Bacchi, atque Pomonæ certamen, quod Plinius Campaniæ tantopere est gratulatus. Est igitur, cur mea hæc Veterum Tusculanorum monumenta Tuo Nomini consecrarem, caussa & ratio, apta illa quidem ac peropportuna; quod eorum splendorem, ac intermortuam, & tantum non consepultam omnino, tot jam sæcula, eorumdem memoriam, atque imaginem, Gens Tua generosissima novo cultu suscitaverit, restituerit, ac pene etiam fuerit æmulata. Quantumcumque enim mihi Antiquorum Operum superstes fama divitias ingerat, jactet, ostentet suas; Burghesia nihilominus Tusculana Prætoria, (ut de suburbanis vestris Pinciis, de Nomentanis, de Laurentinis, aliisque quamplurimis in Latio, Sabinis, Pelignis, atque alibi constitutis, nunc sileam)

Pon-

Pontificiam omnia, & Regiam in omnibus Majestatem, & munificentiam præseferre, nemo unus inficias iverit. Accedit ad hæc, Princeps Eminentissime, quod ego in eam Sacram Familiam, singulari Supremi Numinis beneficentia, ab ineunte usque ætate, fuerim cooptatus, quæ Paullo Quinto Burghesio Romano Pontifici Optimo Maximo Gentili Tuo plurimum debere semper professa fuerit. Societatem Jesu, inquam, auctam a Benevolenti Pastore Summo pluribus per Italiam Collegiis & Domiciliis, Ejus auctoritate ac suasionibus beneficentissimos per Fundatores erectis. Privilegiis quoque & Immunitatibus, utpote quam difficilibus temporibus, proprio quoque dispendio ac detrimento non minimo, addictissimam semper sibi, ac Sacrosanctæ Romanæ Sedi, ut par erat, spinosas inter exortas supremis cum Principibus controversias, fidelem atque obsequentem pene unice expertus fuerat.

Quam-

Quamvis enim antiqua hæc, ingrato cuipiam atque oblivioso, & nimis vetusta videri possint; quæ post sæculum, & eo amplius, elapsum, commemorentur, atque pro illis, Paulli Posteris seræ gratulationes ac gratiæ habeantur, & referantur; non erunt idcirco unquam talia sapientibus existimanda. Præcipue cum, perennia ea beneficia, quæ nobis Optimus Pontifex contulit, in hanc ipsam ætatem perdurent; ut proinde & antiqua eadem & recentissima, utpote præsentia, merito censenda sint. Cum itaque Veteris Latii Historiæ Libros Amplissimis omnes S.R.E. Cardinalibus inscribere consueverim; Tusculanos Tuos, qui hic illustrantur, in clientelam Tibi Do, Dico, Addico, etiam atque etiam commendo. Quorum Patrocinium ab summa Humanitate Tua, & in Bonas Literas, Artes, ac Disciplinas, propensione singulari, suscipiendum fore, confido. Tu enim, Cardinalis Amplissime, in splendi-

da usque adeo fortuna & ridenti quam maxime natus & educatus, avito nihilominus splendore minime tumens aut gestiens, quem quasi alienum reputabas, propriis virtutum meritis, post Pontificii Palatii, & Cubiculi honorificentissimas Præfecturas, inter Purpuratos S. R. E. Patres & Cardinales, florenti adhuc ætate, es evectus: inque sublimi adeo dignitate constitutus, majorem tamen illa Te cunctis præbes; humanissima comitate ac popularitate Tua charus omnibus, & omnium plausibus ubique exceptus. Læta igitur fronte Libellos hosce meos in Tuum confugientes sinum exceperis; sisque, quod imploro, studiorum meorum GRANDE DECUS COLUMENQUE. *quotiesque a gravissimis Christianæ Reipublicæ procurandis negotiis intentum assidue animum necessaria cessatione parumper avertis, eosdem Commentarios in manus sumere, & lectitare ne dedigneris; optime conscius, Venerabilis Antiquitatis studium*

& cognitionem, nedum non abhorrere a viro Principe, verum etiam, quantoquisque celsiori ac sublimiori loco & gradu fuerit elatus, illi cum primis jure optimo convenire. Quod si, hoc de vetusta vel remotissimarum a nobis regionum historia verum fuerit asseverare; quanto justius idem de nostris hisce, in quibus nati sumus, atque versamur, veteribus monumentis cognoscendis dicendum sit & existimandum, nemo non videt. Nescire *enim* quid anteaquam natus sis, factum fuerit, hoc est semper puerum esse; *de Tullii præclarissimo testimonio*; *vel* hospitem semper in sua patria agere; *quod antiquorum pariter in re nostra adagium fuit.*

Ceterum, quamquam hæc Veteris Latii Historiæ Pars, neque a rerum, quas narratione complectitur, dignitate, neque ab auctoris, qui easdem collegit. atque contexuit, tenuitate, jucunda & grata Tibi accideret, Cardina-

lis

lis Amplissime (quod tamen futurum non dubitamus, Humanitate Tua nobis abunde perspecta freti) in clientelam tamen Tuam istam ipsam Historiam cum Scriptore suo a Te suscipiendam perbenigne, certo confidimus; quod ea Petro Marcellino Corradino Cardinale Amplissimo, Burghesiæque Gentis amicissimo, Operis universi Institutore & Inventore Primario sese tueatur atque commendet. Is enim studiorum meorum Mecænas, idemque Veteris Latii monumentorum Patronus, quemadmodum alias aliis, Collegis Tuis præstantissimis, Operis nostri partes, congruis sane titulis, ut inscriberem, ita hanc Tibi de Tusculanis Tuis, ut consecrarem, auctor mihi esse locupletissimus voluit.

Diligit enim Vir sapientissimus Tusculanos suos quam qui maxime, tum aliis de caussis pluribus antiquioribus; tum vero maxime omnium, quod eorumdem aliquot abhinc annis Sacer Antistes fuerit creatus. Vetera proinde

Tuſculanorum ipſorum Monumenta, quæ ad eorum gloriam & amplitudinem patefaciendam conferant plurimum, a me ſuo juſſu in unum collecta, & apto narrationis ordine diſpoſita, in honorificentiſsimo Patrocinio Tuo collocari, ſummopere approbat ac lætatur. Præcipue cum profana hæc monumenta ad ſacram de Locis iiſdem Hiſtoriam ſcribendam, viam ſternere, plane conſtet.

Fave igitur, Humaniſsime Princeps, ac perlege. namque

Invenies iſthic loca ſæpe domeſtica vobis,
Et quorum pars magna Domus Burgheſia nunc eſt.

Non enim ſine liquida aliqua voluptate futurum puto, Priſcorum Romanorum, in his ipſis Tuſculanis veſtris deliciis quondam ruſticantium, veſtigia relegere. Quemadmodum enim de Trojanis decenni obſidione in ſpeciem ſolutis Græcorum Caſtrorum veſtigia relegentibus inquit Maro:

Pan-

Panduntur portæ; juvat ire; & Dorica Caſtra,
Deſertoſque videre locos, lituſque relictum.
Hic Dolopum manus; hic ſævus tendebat Achilles.
Claſſibus hic locus. hic acies certare ſolebant.

Sic & de nobis Antiquorum in Tuſculanis iſtis Veſtris veſtigia inquirentibus, & potiori quidem ratione, quippe omni prorſus periculo procul, perquam apte dici poſsit, quoties ab Urbe iſthuc proficiſcimur:

Panduntur portæ; juvat ire, & Tuſcula rura,
Deſertoſque videre locos, campoſque relictos.
Hic juga Telegoni Circeja ſtirpe creati
Surgebant fabricata manu, munitaque quondam.
Hic ſtetit intonſi tam frugi villa Catonis.
Deliciis hæc Luculli quondam omnia plena.
Huc novus Arpinas congeſſerat ornamenta
Signorum; huc Libros, ſilvas, ſaltuſque Lycæi
Finibus e Graiis tranſvexerat: hic latitabat;
Publica Civili dum Res ferveſceret æſtu;
Se involvens virtute ſua; vulgoque remotus,
Maxima, ceu fidis arcana ſodalibus, olim

Cre-

Credebat Libris: neque si male gesserat usquam
Decurrens alio; neque si bene. quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.
Sic liceat tota passim regione vagari;
Vix ullum antiquo cum sit sine nomine saxum.

Sed jam non ultra abutar patientia Tua, & benignitate, Cardinalis Amplissime. Unum itaque exorans: numero me adscribe Tuorum, *finem facio: Fausta Tibi interea omnia dextero semper a Numine, Tuisque apprecatus ex animo, Sacræque Decus Purpuræ exosculatus.*

Romæ ex Gregoriano Sancti Athanasii Magni Collegio Kalendis Januariis a Christo Nato CIↃIↃCCXXXX.

LECTORI BENEVOLO

Joſephus Roccus Vulpius Societatis Jeſu Sal.



N Tuſculanum, ſive potius in Tuſculana Rura amœniſſima, te mecum conferre, ne pigeat, Lector Benevole. neque enim longum tibi ab Aricinis, poſt Albanos, proxime perluſtratis, iter eſt conficiendum; & confecti precium abunde capturus es celeberrimorum Veterum Tuſculanorum monumentorum cognitionem. Profecto qui Tuſculanas, perennes ſemper ac vividas Delicias delibent, plurimi ſunt. imo fere omnes, quotquot Romanæ Urbis Sanctitatem, vetuſtatem, magnificentiam, opes, dignitatem, præſentes admiraturi, ad illam contendunt; totidem ferme Tuſculanas, ſaltem curſim, Καὶ ἐφ'ἡμέραν, Delicias, tam Suburbanas, inviſere non prætermittunt. Vix tamen pauci, quos æquus amavit Juppiter, atque ardens evexit ad æthera virtus, ſubſiſtere aliquantiſper ſuſtinent, & immorari, in Veterum Tuſculanorum monumentorum aliqua inveſtigatione. Vel enim venerabilis Antiquitatis recolendæ nullo tanguntur amore; vel introſpiciendæ ejuſdem paullo attentius, tempus non ſuppetit, ad alia ſemper atque alia loca inviſenda & percurrenda definitis modicis concluſis ſpatiis approperantibus; vel denique ſumtuum faciendorum in mora, in equis, in antiquariis, ceteroque apparatu, ad vetera cognoſcenda minutius, copia non ſubeſt. His igitur incommodis omnibus hinc ſecluſis, tempeſtatum quoque injuriis, quæ hujuſmodi luſtrationum comites ſemper, aliquatenus ſaltem, fidiſſimæ ſunt ac perneceſſariæ; Tuſculanorum hic minutatim, atque accurate veſtigata, detecta, excuſſa, digeſta, diſpoſita, illuſtrata vetera monimenta pacatiſſime poteris perluſtrare. Et, ſi forte percurriſſe ſemel non ſatis fuerit, & immorari juvaverit uſque & uſque; integerrimum id tibi erit: quæ commoda Librorum ſunt. Neque tantum perlegere Tuſculanorum Hiſtoriam; verum & eorumdem Moles vetuſtas magnificentiſſimas, nondum omnino ac funditus diſſipatas; quas hic æreis Tabulis repræſentari curavimus, præſens veluti oculis uſurpare poteris. Conferre quoque veterum in Tuſculano villarum magnificentiam, cum præſentium amœnitate; atque, utræ utris præferendæ veniant, forte decidere. Plurimis quidem

dem ac fere innumeris antiquitus Prætoriis, Prædiis, Ruribus, Villis, Fundis, Tusculanus Ager, maxime qua Romam spectat, fuit confertissimus, Strabone teste. Inclaruere tamen merito præ cunctis ceteris, Luculli, Ciceronis, & Catonis; tum de Dominorum suorum clarissimis nominibus, & celeberrima fama; tum molibus, vastitate, supellectile, divitiis atque deliciis. Et Lucullanum quidem magnificentia, Ciceronianum eruditione, Catonianum frugalitate potissimum excelluerunt. Per hæc quoque tempora, quamquam villis cultissimis plurimis Ager idem sit frequentissimus; ordines tamen ducere, nemo negaverit, tres illas speciosissimas, *Burghesiam*, *Pamphiliam*, & *Ludovisiam*. quarum Burghesia Luculli magnificentiam, Pamphilia Ciceronis elegantiam, Ludovisia Catonis commoda adumbrare, videri possint. Catonianæ tamen Tusculanæ villæ frugalitatem & domesticam utilitatem, & copiam, nullam ex Tusculanis præsentibus imitatam, crediderim, aptius, quam *Piscatoriam*, ab *Petro* cognomento *Piscatore* Patricio Romano sic vocitatam. Cujus viri mihi & Societati Nostræ Universæ amicissimi memoriæ ac virtuti testimonium hic opportunum omisisse, fas & jura vetant. Quoties enim, dum Tusculi immorarer, vidi illum, veluti Virgilianum senem Corycium, Oebaliæ sub turribus altis, cultissimos hortos colentem? Ille Poetæ ejusdem præcepti memor: *Laudato ingentia rura*, *exiguum colito*, totus in Suburbano suo Tusculano haud ita vasto excolendo erat. & quamvis Alexandri VIII. Pontificis Maximi magnus Oeconomus olim fuisset; Tusculi tamen, multis jam ab hinc annis, aula, strepituque Romæ valere jussis, maximam vitæ partem degebat. hic

Georgi c. 4. v. 127. & proxim.

Georg. 2. v. 412.

Georg. 4. v. 132. & seqq.

Regum æquabat opes animis: seraque revertens
Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemtis.
Primus vere rosam, atque autumno carpere poma.
Et cum tristis hyems etiam nunc frigore saxa
Rumperet, & glacie cursus frænaret aquarum;
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Æstatem increpitans seram, zephirosque morantes.
Ergo apibus fœtis idem, atque examine multo
Primus abundare, & spumantia cogere pressis
Mella favis: illi tiliæ atque uberrima pinus:
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat; totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos,

Edu-

Eduramque pirum, & spinos jam pruna ferentes,
Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.

Piscatoris enim nostri villa, quemadmodum Tusculanæ reliquæ solent esse,

Non otiosis ordinata myrtetis, Ex Martial. ep. 58. lib. 3.
Viduaque platano tonsilique buxeto,
Ingrata lati spatia detinet campi;
Sed rure vero barbaroque lætatur.
Hic farta premitur angulo ceres omni,
Et multa fragrat testa senibus autumnis.
Hic, post Novembres, imminente jam bruma,
Seras putator horridus refert uvas.
Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeique pavones.
Rhodias superbi feminas premunt galli.
Sonantque turres plausibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.
Avidi sequuntur villicæ sinum porci.
Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad lares silva.
Hic tendit avidis rete subdolum turdis
Aut impeditam cassibus refert vulpem.
Exercet hilares facilis hortus urbanos.
Nec venit inanis rusticus salutator.
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis, Tusculumve porcellum.
Somniculosos ille porrigit glires,
Alius coactos non amare capones;
Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.

Duplici itaque villa Piscatorium Fundum Tusculanum, in nova Tusculana via situm, sinistro adscendentibus latere, undecimo ab Urbe lapide, e regione Villæ Ducis Sorani, loco, qui Servii Galbæ Villam olim ex parte, tenuisse creditur, duplici inquam villa, gaudentem videre est. Æstiva altera, altera hiberna. mundities utrobique, & supellex apta. picturæ etiam perpulchræ parietes vestiunt; quod tamen frugale putes. Fundus totus non ille quidem amplissimus, sed tamen amplus; utilis omnis, & fructuosus. namque & Hortis, & Vineis, & Pomariis, Pratis quoque modicis, & Arvis distinguitur. nec

desunt silvulæ. Culta omnia. Si florum copiam vestibulum ante ipsum inspexeris, hic ver assiduum; si pomorum, autumnus perpetuus. nam, præterquamquod vix non rumpuntur pondere rami; passim sua quæque sub arbore poma, mirabili insitione novata, ac variata. Irrigui autem & in declivia constituti horti oleribus in dies copiosissimi. Porro ipse dominus hilari semper vultu occurrere nobis limen ad ipsum consueverat, qualis Horatianus ille *Beatus, qui procul negotiis, & omni solutus fœnore, forumque vitans & superba civium potentiorum limina*. aut Claudianius ut alter senex, *Felix, qui propriis ævum transegit in arvis, Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis*. Sulcos quidem & vineta crepantem mera audivisses; verum antiquæ probitatis virum, uxorio jamdiu imperio absolutum, sed tamen patrem atque avum. Hunc veluti majorem Catonem alterum de Re Rustica præcepta tradentem in Tusculano adibant quotquot agricolendi tangeret cura. Ipse autem quoties magnificentissimarum Tusculanarum villarum immensas fere moles cerneret; sterilesque daphnonas & platanonas deambularet; & summa impensa extructas piscinas, perforatis montibus, contemplaretur; Horatianam exprobrationem ex animo adhibebat:

Epod. carm. 2.

Epigr. de Sen. Veron.

Jam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent: undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu: platanusque cœlebs
Evincet ulmos. tum violaria, &
Myrtus, & omnis copia narium
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori.

Od. 15. lib. 2.

Quoties autem & ipsas Romanorum splendidissimas villas deliciis affluentes in Tusculano, vacuas tamen fere semper videret, & solitarias & clausas, utpote dominis Romæ pallentibus in officiis Urbanis; exclamabat:

Quot Tusculanos imputat dies annus
Negociosis rebus Urbis hærenti?
O Janitores villicique felices!
Dominis parantur ista; serviunt vobis.

Ex Martial ep. 30. lib. 10.

Denique, ut erat comis, villaque, ut dixi, utebatur, in limite novæ Tusculanæ viæ constituta; vestibulum ante ipsum sedere identidem consueverat sub vesperum, composito jam die; atque adeuntes Tusculum adversos excipere. a quibus omnibus veluti quoddam

Agri-

Agricolationis Præſes ac Præſens Numen, ſalutabatur, & compellabatur amiciſſime. Ille vero ex iis plurimos, impedimentis onuſtos miſeratus, & rhedis, & carrucis, in quibus tota ferme Urbana domus & penus impoſita erat ad ruſticandum, & tranſvaſare coacta; ridere ſecum, atque in ſinum deſpuere, hominum minimam providentiam, ac vix non inſaniam; atque horum aliquem ſic leniter compellare:

Pol! tu ſub Urbe poſſides famem mundam. Ex Martial. ep. 58. l. 3.
Et turre ab alta proſpicis meras lauros,
Furem Priapo non timente, ſecurus.
Et vinitorem farre paſcis Urbano.
Pictamque portas ocioſus ad villam
Olus, ova, pullos, poma, caſeum, muſtum.
Rus hoc vocari debet? an domus longe?

Deceſſit tandem in ſenectute bona & optima plenus dierum & veræ vitæ. quaſi tamen non deceſſerit, vivit adhuc in Georgio filio honeſtiſſimo, non tam exculti prædii, quam virtutum, & frugalitatis in primis, optimi patris herede. Ceterum, ſi quis vetuſtas inter Tuſculanarum villarum opes ac delicias, & præſentium copiam, velit comparationem inſtituere; is operam minime luſurus erit. quamvis enim laudamus veteres, noſtris tamen utimur annis. Lucullanum in Tuſculano fuerit magnificentiſſimum, vaſtiſſimum, ditiſſimum, delicatiſſimum; numquid Burgheſianum pariter Tuſculanum humile tibi videbitur, anguſtum, modicum, barbarum? Triplici illud villa diſtinguitur; *Mondraconia* excelſiſſima & ampliſſima; *Tabernia* opulentiſſima; *Villa Veteri* commodiſſima. Immenſum fere ſpacium ambulacra & geſtationes, daphnonas inter & platanonas, circumeunt. quis fontium, quis ſtatuarum, quis precioſæ ſupellectilis omnis precium ipſum, copiam, numerum, raritatem, ſatis æſtimaverit? Ciceronis Tuſculanum fuerit ornatiſſimum; numquid non elegantiſſima ſubeſt modo Villa Pamphilia, ab Petro Aldobrandino Cardinali ſub Clemente VIII. patruo Pontifice Maximo ædificata in aſcenſu ac dorſo Tuſculani montis, tot ingenioſiſſimis aquæ ab Algido deductæ luſibus admirabilis? in qua merito inſcriptum legimus ad Muſarum & Apollinis hydraulica organa, fiſtulaſque:

Huc ego migravi Muſis comitatus Apollo.
Hic Delphi, hic Helicon; hic mihi Delos erit.

Opus ſane Pontificia Majeſtate digniſſimum, quemadmodum & Burgheſianum a Scipione Burgheſio Cardinali ſub avunculi Paulli V. R. P. au-

R. P. auſpiciis erectum. Geminis hiſce Deliciarum ac Divitiarum compendiis Ludoviſia ſeſe villa conjungit, quam modo Romana Comitum Familia nobiliſſima poſſidet. In hac admirabilis plane planicies in monte æquata, & aquarum vis maxima hoſpitum admirationem provocat. Has, tamquam Prima Capita, ſequuntur nihilo, vel paullo certe minores Villæ, *Rufina* Falconeriorum, nuper ab Alexandro Cardinali non una ratione amplificata, & ornata; *Rufinella* Sacchettorum, nuperrime vero Collegii Romani Societatis Jeſu, prope Antiqui Tuſculi ſedem; *Aquaviva* ſeu *Montalta* Odeſcalchiorum; *Arrigonia* Rocciorum; *Belpodium*, olim Viſcontia, nunc Pallavicinorum; ac demum Boncompagnia Sorani Ducis. Et has ſecutæ, ipſæ quoque perelegantes, Piccolominea Teſtarum, Cavalleria, Cavalletta, multis in Colle olim *Corne*, ſita, Gabriellia, Cincia, Silvia, Vainia, Accorambonia, Minuccia, Contia, Campitellia, Piſcatoria, ubi olim Servii Galbæ. villulæ etiam Barigionia, Paſſerina, Amadeja, Gavotta, atque aliæ perplures, in quas Vere Autumnoque ſeſe Roma transfert pene univerſa. Neque vetus Ciceronis Tuſculanum incultum manſit; verum Arce ibidem conſtructa, quæ dicitur *Crypta Ferrata*, frequentatur adhuc & celebratur. Sacra nempe Deiparæ Æde, atque Imagine prodigiis clara, Sanctorum Nili & Bartholomæi exuviis, picturis quoque elegantibus, & nuperrimis Baſilianorum excitatis ampliatiſque ædibus; qui Græcanico Ritu, juxta tamen Romanæ Sedis adprobationem, ſacra peragunt, nobile eſt & conſpicuum, latiſſimis circum undique viis umbroſa hinc atque hinc arbore conſitis; aquis quoque ærarias officinas & frumentarias molas juvantibus copioſiſſime.

Quamquam autem internecino hoſtium ſuorum odio Vetus Tuſculum & opes & gloriam, & cives, ipſamque ſuam ſedem, funditus exciſam atque erutam, amiſerit, tot jam ſæcula: novi tamen Tuſculi, nunc *Fraſcati* facies viſu digniſſima apparet. non enim amplius ibi ſubitariorum ex frondentibus ramis tuguriorum, unde ruſticum nomen, veſtigia ulla internoſcuntur; ſed, modicæ licet, elegantes tamen domunculæ ubique; lati & recti vici; ſpatioſæ areæ plures; Domus Magiſtratuum, ſive Publica, multum honeſta; Arx munda. Portæ urbis ornatæ, mœnia ex parte conſtructa. Sacræ ædes plures; quibus adjuncta Sacerdotum & Religioſorum hominum Collegia decem; ſcilicet Sacerdotum ſæcularium, quos *Canonicos* dicunt, ad Divi Petri, ubi Tuſculani Sedes Antiſtitis; Societatis Jeſu ad Templum elegantiſſimum eidem Sanctiſſimo Nomini conſecratum;

Thea-

Theatinorum, ad *Caput Crucis*; Franciſcanorum, Strictioris Obſervantiæ, quos vocant, ad Divi Bonaventuræ; Cappuccinorum; Scholarum Piarum; Sacrarum Virginum ad Beatæ Domitillæ; Camaldulenſium, & Carmelitarum Reformatorum in Montibus Tuſculanis. præter Fratrias opulentas e Tuſculanis Civibus congregatas; quarum potiſſimæ ad Divi Petri, & Beati Rocchi, ſive Sanctæ Mariæ in Vivario Luculli. Cum autem in Tuſculanis Villis ingentia picturæ miracula, parietibus undique circumveſtitis & cameris, ſit admirari; Sacræ quoque in Tuſculana Urbe ædes iiſdem non ſunt deſtitutæ. Quas inter, Opera Andreæ a Puteo Societatis Jeſu, in Templo ejuſdem Societatis, juxta Tuſculanum Collegium, nullus hoſpitum inviſere ac ſuſpicere prætermiſerit.

Neque ultima præſentis Tuſculanæ Urbis gloria fuerit, adeo e ruinis Veteris Tuſculi exſurrexiſſe, atque emerſiſſe illam ſcilicet, ut proprio Sacro Antiſtite decorari, & ex Ordine quidem ſplendidiſſimo ac ſupremo S. R. E. Cardinalium, meruerit. Quam Sedem, quemadmodum ex antiquioribus ſemper Purpuratis Patribus unus tenet; ita Sanctiſſimi & ſapientiſſimi clariſſimique Paſtores hactenus tenuere. Quos inter, noſtra, ac Patrum memoria, Cardinales Otthobonus, mox Alexander VIII. R. P. Urſinus, deinde Benedictus XIII. pariter Pontifex Maximus, & Clemens XII. Corſinus, Supremus, dum hæc ſcriberemus, feliciter Chriſti Vicarius. item commemoratione digniſſimi Cardinales, Tanarius, Otthobonus junior, & Petrus Marcellinus Corradinus Mecænas meus, qui Tuſculanis modo Antiſtes ſanctiſſime præeſt. quique ſtabilem quodammodo primus omnium Sedem Tuſculanorum Antiſtitum habere merito dici poſſit. quod a Benedicto XIII. Tuſculanam Arcem fruendam vita comite acceperit; cum hactenus Deceſſores vagi, nunc ibi, nunc illic, non exiguo adeuntium clientium incommodo hoſpitari, præ fixæ ſedis inopia, debuerint.

Ex his itaque omnibus præſentis Tuſculi dotibus, Tuſculanique agri villis, deliciis quoque & amœnitate ſoli, ingenio cœli, & aeris temperie, vini bonitate & copia, frugum ubertate, incolarum & colonorum frequentia, Urbi propinquitate, quæ major eſt, quam Veteris Tuſculi fuerit; ceteriſque omnibus naturæ atque artis bonis, quæ numerare per ſingula longum nimis foret, (ſingula tamen adeuntes, & perpetuo ruſticantes minime latent, aut poſſunt fallere) ſi quis Tuſculanam Regionem præſenti tempore vetuſtis ſuis opibus ac deliciis, (utcumque æquare eas nequeat) minimum tamen

men jure invidere debere, pronunciaverit; is demum & ſapiet, & mecum faciet, & æquiſſimo, profecto, Jove, judicabit.

Jam vero, non eſt, cur pluribus ingeram tibi, atque inculcem, Lector Benevole, quantum ſtudii, temporis, atque operæ in eruendis, & perveſtigandis, repræſentandiſque hic diligenter, ac prout extant, Vetuſtis Tuſculanis his Monumentis, contulerim, atque impenderim. Cum & ex dictis hactenus, multoque magis, ex dicendis in ipſa Hiſtoria, conſtet ſatis ſuperque, me, non curſim, aut obiter, ea fuiſſe ſcrutatum; ſed pacate admodum, ac per ocium; non annuis modo autumnalibus ruſticationibus, ſæpius Tuſculi habitis; verum etiam biennio ſolido, quo ibidem ad humanioribus literis informandos Tuſculani Seminarii, quod nunc maxime celebratur & floret, Alumnos & Convictores ab Tuſculano Antiſtite Societatis Noſtræ inſtitutioni, curæ, ac diſciplinæ traditos, ſubſiſtere juſſus fui. Per id namque tempus quotidianus ferme Tuſculanarum Antiquitatum inſpector, & curioſus perveſtigator eminus cominuſque, latebras omnes inquirere non prætermiſi.

Porro Tuſculanis Algidenſes conterminos adjunximus. Et de Algidi ſede varias opiniones diſcuſſimus; quemadmodum etiam de Antiqui Tuſculi. Hujus tamen ſitus certior multo quam Algidi deſignari poſſe videtur. De ipſo Algido nihilominus probabiliores aptioreſque ſententias, & conjecturas in medium attuliſſe, non prætermiſimus. Tu ad Præneſtinos me properantem & Gabinos; ad Tiburtinos demum & reliquos Latii Veteris Populos exciſos ſine veſtigiis, deſcriptione complectendos, ubi Latii Noſtri Terminus & Meta Ultima, favore tuo, tuaque humanitate, juva, Lector Benevole, quemadmodum præſtitiſti hactenus deſcriptis emiſſiſque in publicum Libris. Ita enim ad Opus, non minimi ſane laboris exiguive temporis, tandem aliquando, Dextro Numine, conficiendum, abſolvendumque, ingentes animos feceris. Vale.

Antiqua Locorum, quæ in his Libris deſcribuntur, Nomina cum recentibus collata.

Algidum, & Algidon Algidonis *regiuncula fuit Latinorum ultra Tuſculanos Colles, in ipſo limite Viæ Latinæ, Latium vetus ab Æquis, Volſcis, & Hernicis, diſterminans.* Algidum *oppidum caput ejus erat, parvum quidem, ſed loci natura muniſſimum, utpote inter Montium clauſtra, fauceſque, medium conſtitutum. Sedes ibidem Æquorum & Volſcorum diuturnis contra Romanos bellis fuit. Circa, Mons Algidus Dianæ templo & vetuſtis lucis celebris. antiquum nomen ab* algore *ſeu* frigore, *quo laborat maxime regio, deductum videtur. Locis modo nomina* Oſteria, *ſive ex Gallico*, Cava dell' Aglio, & Selva dell' Aglio, *ſeu* degli Algeri *ultra dirutum oppidum* La Molara *circa Viam Latinam, Montes inter Tuſculanos, Albanos, & Veliternos. Oppidani olim* Algidini, Algidenſes, & Algidienſes. *Oppidum jamdiu in ruinis, ferme ſine veſtigiis, jacet. Diſtabat Roma, juxta Procopium, ſtadia* CXX.

Aqua Algidenſis, Algidina, Algidoſa & Algentiana *ab Algido deducta, ſtagnumque efficiens modicum, inter clauſtra & fauces Tuſculanorum, ac Veliternorum Montium, vulgo* Lago della Cava dell' Aglio. *inter Aquas ad Urbem perductas numeratur a Publ. Victore tertiadecima. Deducta iterum fuit a Petro Aldobrandino Cardinali ad Tuſculanæ ſuæ Villæ delicias, ſub Clemente VIII. R.Pontifice. diſpergiturque eadem etiam ad alias villas, ipſumque recens oppidum* Fraſcati. *Fabretto dicitur* Angeloſa. *Ejus iter a nobis hic deſcribitur.*

Ad Decimum *Locus in Via Latina ſub Tuſculo; milliaria decem ab Urbe diſtans. reſpondiſſe creditur loco, aliis nunc* Borghetto, *aliis* Oſteria del Fico, *aliis* La Molara.

Aqua Crabra *quaſi* ſcabra, *ſive* aſpera, *ex Lacu Albano in ſeptemtriones erumpit; Marinumque ſive Marianum Oppidum alluens, fluvioli deinde inſtar, Romam petit, Via Tuſculana. Hinc dicitur* La Marana *quaſi* Mariana. *Celebratur Ciceroni, eo quod Tuſculanum ejus olim irrigaverit. Eadem dicta eſt* Damnata, *quod Agrippa, in aliis perducendis ad Urbem, Crabram excluſerit, ſuoque judicio* damnaverit; *ſive quia Scabra, & aſpera erat; ſive quia, ut melius Frontinus ipſe, Tuſculanis poſſeſſoribus relinquendam credebat.*

Aqua

Aqua Tepula *in Agro Tusculano scatens, a M. Agrippa inter alias collecta, & Romam perducta cum Julia simul. Deducta fuerat primo usque in Capitolium a Censoribus Cepione & Longino, ut apud Frontinum. Dispersam fuisse, crediderim, amissis ductibus. certe nomen jamdiu amisisse videtur; quod, ex veteri, diceremus* Acqua Tiepiduccia.

Bola, Corbio, Ecetra, Hortana, Vitellia, *Prisci Latii Vetusta Oppida, sive potius Antiquo Latio contermina in finibus Æquorum & Hernicorum, inter Loca nunc*, Monte Fortino, Valmontone, Ostaria di mezza Selva, *&c. juxta Veterem Viam Latinam, aut circa ipsam.*

Collis Corne *in Agro Tusculano fuit, Dianæ Templo & Luco celebris; ibi arbores eximiæ magnitudinis, vetustatis, & venustatis, excreverant; quas inter, præcipua illa a Passieno adamata & exculta, ad furorem usque & insaniam. Creditur aliis extitisse eo loco; quo nunc in Tusculano, prope Viam Latinam, est* Villa Cavalletti; *aliis, ubi dicitur* Tenuta della Cornafella; *ubi prædiolum Collegio primum Tusculano Societatis Jesu a Nicolao Calcaneo donatum. quamquam hic locus aliis non* Cornafella, *sed* Cornufella *nominatur; & Cornuficiorum villa fuisse creditur.*

Columen *antiquus Prisci Latii Pagus, seu Vicus, non ita procul a Via Latina, juxta Lavicanam; Livio semel nominatur. quem aliqui, ex nominis affinitate, stetisse putant eo loco, qui nunc dicitur* La Colonna. *quamquam hic pluribus, Veteris Labici sedem occupare credatur.*

Furiorum Villa *& Sepulcra olim in Via Tusculana, in ipso ad urbem Tusculum ascensu. Detecta sunt, quinquaginta ab hinc annis, & eo amplius, intra Camaldulensium Septa, vulgo* Camaldoli di Frascati, *cum Sarcophagis, & urnis & inscriptionibus, quæ hic una cum Furiæ Gentis nobilissimæ viris aliquot illustribus, referuntur.*

Labici & Labicum, & Lavici & Lavicum *Antiquum Prisci Latii oppidum in Romana Historia celebratum, non ita procul a Via Latina. Terminus fuit unius ex Consularibus Viæ, cui nomen fecit,* Via Lavicana. *De qua infra. Stetisse creditur aliis, sed porro male, ubi hodie oppidum* Valmontone *Pamphiliorum, juxta Viam Latinam; quod ipsum satis taliter opinantium errorem detegit. quare aliis melius sedisse putatur Labicum haud ita procul ab extante modo oppidulo* La Colonna, *in Agro Tusculano: designantque etiam, si superis placet, Colliculum cum ruderibus*

non-

nondum dissipatis omnino, quo Labici Veteris vestigia esse vix dubitant. Populi dicti sunt Labicani *&* Lavicani.

Mons Porcius *sive* Porcii, *Locus, ubi olim Porciæ Gentis Tusculanæ, & exinde Romanæ nobilissimæ, ac præcipue M. Porcii Catonis Villæ fuerunt in Tusculano; ab Tusculo passus pl. m. termille in Septemtriones. nunc retinet antiquum vocabulum, & dicitur* Monte Porzio. *Amœnissimo sedet loco, in Burghesiorum Romanorum Regulorum Ditione; a quibus eleganter Pagus est ædificatus. in pretio sunt ejus vina, quorum ager circa, est copiosissimus.*

Prata Porcii *Catonis Campi sunt vastissimi in Tusculani Agri planicie, sub Monte Porcio; ab Catone olim domino denominati. nunc quoque vel arvorum, vel pascuorum in usum, vetustum nomen servant* Prata Porzi.

Pupinia *Locus olim, & Pagus, cum Agro circa, admodum sterili, verum a Romanis exculto de industria; sexto circiter ab Urbe lapide, in Agro Tusculano. hic Tribus Pupinia fuit. Complexum existimant Antiquarii loca circa Prædium Burghesiorum, quod dicitur* Torre Nova, *Romam inter & Montem Porcium; ex æquo fere spatio constitutum. Amœno hodie cultu viget hic ager, & ubere quoque glebæ commendatur; veteri Pupiniæ sterilitate, si tamen hic Pupinia fuit, antiquata.*

Regillus Lacus *juxta Viam Latinam, seu potius Lavicanam, pluribus creditur esse ille, qui sub oppido* La Colonna *exinde nomen mutuavit* Lago della Colonna. *alius est ab Gabino in Via Prænestina, qui & Burranus & Sanctæ Praxedis est appellatus, & vulgo* Lago di Castiglione, *seu* Pantano de Griffi, *& recentius* di Borghese. *de quo in Prænestinis. Ad Regillum Lacum pugna celeberrima contigit, Romanos inter & Latini Nominis Populos universos, in qua Latini devicti sunt; eorum Duce Octavio Mamilio Tusculano ejectos Tarquinios in Regnum reducere frustra conante. Fuit juxta Lacum etiam oppidum Regillum; aliud tamen a Regillo Oppido in Sabinis, unde Claudia Gens, Romæ postea nobilissima.*

Roboraria *Locus olim in Via Latina sub Tusculo, circa decimum tertium ab Urbe lapidem, frequens roboribus satis; ex quibus Silva & septum ad bestias ferasque claudendas, & educandas, in usum spectaculorum. respondere aliis creditur loco nunc* Borghetto; *aliis* l'Ostaria del Fico; *aliis* La Molara *quod ex ruinis Veteris Tusculi, ejusque de* molibus *excitatum, in ruinis tamen & ipsum jamdiu jacet, in Via Latina, dextro latere, sub Albanis Montibus, e regio-*

gione Tusculi ; *remanente ruderibus vocabulo* La Molara ; *& proximo Diversorio* l'Ostaria della Molara . *Romanam Gentem prænobilem* Della Molara *hinc originem deduxisse ferunt* , *atque huic oppido dominatam* .

Tusculum *urbs Prisci Latii vetustissima in summo jugo Montis* , *qui* Tusculanus *ab ipsa dictus est* , *sita* . *cum arce munitissima* , *in rupe excisa* . *ab Telegono Ulyssis & Circes filio condita communissime traditur* ; *vel a* thure , *vel a* sacrificando , *quod Græcis est* θύειν , *vel a* tusis glebis , *vel a* Tuscis *deinde Colonis* , *&c.* , *sic nominata* . *Distabat Roma passus duodecim mille* , *vel quindecim* , *prout alii aliter computaverunt* . *Et antiquis* , *& recentioribus sæculis fuit clarissima rerum gestarum Gloria* . *Villis quoque tum Civium suorum tum Romanorum amœnissima atque excultissima* . *Excisa fuit funditus* , *vix paucis remanentibus vestigiis in ipso monte* . *qui priscum nondum nomen amisit* Il Tuscolo . *Ex ejus reliquiis oppida extructa memorant* Rocca Priora , Monte Compatro , La Molara *jam dirutum* ; *& omnium maxime* Frascati , *ubi Suburbanæ Romanorum Deliciæ* ; *quod urbs exinde evasit* , *Sacro* , *ex Cardinalium Antiquiorum Ordine desumto* , *Antistite decorata* .

Tusculanum M. Tullii Ciceronis , *villa domino suo cum paucis dilecta & exculta* , *in dextero Viæ Latinæ latere* , *duodecim plus minus* , *milliaria Roma distans* ; *unanimiter* , *& prudentissime quidem* , *sedisse creditur* , *ubi modo Septum* Grotta Ferrata *sive* La Badia di Grotta Ferrata , *seu* La Madonna di Grotta Ferrata ; *ubi Deiparæ vetusta Sacra Ædes* , *& Divi Basilii Magni Assectarum Collegium ab Sanctis Nilo juniori & Bartholomæo constitutum* . *In hac villa scripsit Tullius sapientissimas illas Orationes* , *sive Quæstiones quinque* , *quas congrue* Tusculanas *nominavit* . *Aliam Villulam habuisse Ciceronem ipsum* , *putant nonnulli* , *Antiquo Tusculo summœnianam* , *loco ubi adhuc* , *supra Sacchettorum tam Villam nunc Collegii Romani Societatis Jesu* , *exedræ non obscura supersunt vestigia* ; *cuique vulgo nomen* Scuola di Cicerone .

Via Latina , *ex Consularibus præcipua* , *initium duxit a Porta Capena ex Strabone & Festo* . *Albanos a Tusculanis montibus* , *lato limite* , *& spatiosa valle disterminat* ; *Anagniam* , *sive Compitum Anagninum* , *sub Anagnia* , *tendit* ; *mox in Campaniam* , *&c. ornatissima quondam Romanorum villis & monumentis fuit* . *hodie quoque dicitur* Via Latina .

Via Labicana , *seu* Lavicana , *ex antiquis pariter & Consularibus* , *a Por-*

Porta Nævia, *nunc* Maggiore *initium duxisse pluribus creditur*, *& Prænestinam inter ac Tusculanam*, *sive Latinam*, *directam*, Labicos *terminum habuisse. quod oppidum multi non ita procul ab recenti pago* La Colonna, *situm fuisse olim*, *existimarunt. In hac Via*, *fuisse* Pupiniam, *nunc* Torre Nova, *&* Regillum Lacum, *modo* Della Colonna; *& ante hæc*, *quarto ab Urbe Lapide*, *Christianorum celebre sepulcretum* Ad duas Lauros *appellatum*, *ubi & Divæ Helenæ Mausoleum*, *& Sanctorum Marcellini & Petri MM. Sacra Ædes*, *in Christianis Fastis & Tabulis extitisse memorantur*, *modo* Torre Pignattara, *plurimi tradiderunt. nobis* Strada di Monte Porzio, *e* della Colonna.

Via Tusculana *eadem fuisse videtur cum Latina*, *ex parte*; *ad Bivium usque*, *prope Luculli Balnea*, *vulgo i* Centroni *sive* le Grotte di Lucullo, *in Agro Tusculano*, *ad Villam Lucii Murenæ*, *nunc* Cinciorum Romanorum, *vulgo* Casale di Morena de' Cenci. *ibi enim dividebantur*; *Latina quidem dexterum servante latus*; *at Tusculana sinistrum*; *donec ad ipsum Vetus Tusculum ascenderet*; *ubi nondum penitus lapidum*, *quibus instrata fuit*, *periere reliquiæ. recens vero Via Tusculana*, *vulgo* Strada Moderna di Frascati, *sinisterior adhuc his est*; *initium ducens a Porta*, *sive* Asinaria *sive* Celimontana, *nunc* di S. Giovanni; *rivum Aquæ Crabræ vulgo* la Marana *sinistrum linquens ac radens*; *& Mausoleum Imperatoris Severi Alexandri ac Mammeæ Matris*, *modo* Monte del Grano; *in oppidum ipsum* Frascati *producta est*.


Villa L. & M. Licinii Lucullorum *sive* Lucullanum in Tusculano, *vastissima fuit*, *& supra quam credi potest*, *magnificentissima*; *domibus*, *aulis*, *bibliothecis*, *xystis*, *statuis*, *& preciosissima supellectile*, *ac deliciis*, *piscinis*, *balneis*, *orithonibus*, *leporariis*, *septis*, *sive bestiariis*, *ergastulis*, *lucis quoque ac silvis*, *& hortis pene innumeris splendidissima. occupasse creditur molibus*, *quarum non obscura adhuc extant rudera*, *loca*, *nunc* Frascati, Villa Ludovisi, li Centroni, *seu* Grotte di Lucullo, Villa Rocci, *& late*, *etiam*, *prope Marinum oppidum*, *agros. L. Luculli sepulcrum illud fuisse memorant*, *quod prope Portam Tusculanæ præsentis urbis primariam*, *dextero introeuntibus latere*, *summœnianum adhuc cernitur*; *ab circum ædificatarum domorum parietibus pene oppressum atque occultatum. ibi enim L. Luculli nomine inscriptum lapidem repertum*, *dicunt*.

Villa Murænarum, *sive* L. Licinii Murenæ *Tusculani ac Romani Con-*

ſulis Clariſſimi. conſtructam autumant in ea Tuſculani Agri parte, quæ modo, ex veteri vocabulo, dicitur Caſale Morena; *ubi Cinciorum nobiliſſimorum Romanorum nunc Prædia. Pars ex vaſtiſſimo Lucullano ſegregata fuiſſe videtur. cum, & Murenæ, & Luculli ex Licinia Gente, familiæ extiterint. & locus vulgo* i Centroni, *ſeu* le Grotte di Lucullo, *conterminus fere huic Murænarum Villæ prodatur. in dextero Viæ Latinæ latere probe ſurrexerit.*

Villa Pompeii Magni *in Agro Tuſculano Labicano, vulgo* Villa Magna. *forte ejus veſtigia apparent ſub recenti oppido* La Colonna *haud ita procul a* Villa Pallotta. *Alia fuit* Villa Magna, *forte ejuſdem Magni Pompeii, in Hernicis juxta Viam Latinam, haud ita procul Anagnia; cui adhuc nomen vetuſtum adhæret.*

Villa Servii Galbæ *Romanorum Imperatoris Septimi, in Tuſculano; ubi ſacellum Fortunæ. juxta Viam Tuſculanam novam ſediſſe putatur, undecimo circiter ab Urbe Lapide; ubi* Villa Veſpignana *nuper; modo Sacerdotum Luccenſium Matris Dei Romæ* PP. di Campitelli, & Villa Piſcatoria *cultiſſima viſitur.* de' Signori Peſcatori nobili Romani.



IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER DECIMUSQUARTUS.

DE TUSCULANIS.

Cap. I. *De Tusculi Urbis Situ, Conditore, & Nomine.* pag. 1

Cap. II. *De Tusculanorum rebus gestis, & Antiqui Tusculi excidio.* 40

Cap. III. *De Villis Tusculanis, ac præcipuæ de Tusculano Marci Tullii Ciceronis, ejusque amicorum.* 83

Cap. IV. *De Tusculanis L. Luculli & Sergii Galbæ Villis.* 109

Cap. V. *De reliquis Tusculanis Villis & Veterum Monumentis.* 135

Cap. VI. *De Tusculanorum Diis, ac Templis.* 168

Cap. VII. *De Agro Tusculano.* 178

Cap. VIII. *De Monte Porcio, & Porcia Gente in Tusculano.* 194

Cap. IX. *De reliquis Tusculanis Familiis ac Viris Romæ olim illustribus.* 217

LIBER DECIMUSQUINTUS.

DE ALGIDENSIBUS.

Cap. I. *De Regione, Sede, & Nomine Algidi Montis, & Oppidi.* 241

Cap. II. *De Bellis & Præliis ad Algidum decertatis.* 250

Cap. III. *De Agro Algidensi, & Via Latina in eo.* 259

Cap. IV. *De Dianæ Algidinæ Templo.* 279

Cap. V. *De Labicis, & Via Labicana, in finibus Algidensium.* 286

Cap. VI. *De Corbione, Bola, Hortana, Ecetra, & Vitellia quondam circa Algidum Oppidis.* 309

FRAN-

FRANCISCUS RETZ

Præpositus Generalis Societatis Jesu.

Cum Librum, cui titulus : *Vetus Latium Profanum. Tomus Octavus. In quo agitur De Tusculanis & Algidensibus. Auctore Josepho Rocco Vulpio Societatis Jesu Sacerdote, &c.* aliquot ejusdem Societatis nostræ Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 29. Decembris 1737.

FRANCISCUS RETZ.

Locus ✠ Sigilli.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. De Rubeis Archiepiſcopus Tarſi Vicesgerens.

APPROBATIONES.

I.

ABſoluto Tomo Septimo *Veteris Latii Profani* a Rmo P. Joſepho Rocco Vulpio Societatis Jeſu, Epiſcoporum Examinatore, & ab uſque anno 1736. typis Patavinis edito, eruditæ Antiquitatis ſtudioſi anxie flagitabant proſequtionem Operis, & complementum. Quum tandem nobis comparet Octavus Tomus, qui eſt de *Tuſculanis*, & *Algidenſibus*, pari ac reliqui priores elegantia conſcriptus, & plurima eruditione, & rerum ubertate refertus. Hunc mihi legendum, atque adprobandum Rmus P. Aloyſius Nicolaus Ridolfi S. P. A. Magiſter tradidit; eumque cupide legi, & libentiſſime adprobavi, & dignum, qui typis mandetur, maxime cenſeo.

Ex Collegio Clementino hac die 11. Martii 1741.

D. Jo. Franc. Baldinus Cler. Reg. Congreg. Somaſchæ Sacrarum Congregationum Rituum atque Indicis Conſultor.

II.

V*Eteris Latii Profani Tomum Octavum*, *qui Tusculanas & Algidenses Antiquitates complectitur auctore Josepho Rocco Vulpio Societatis Jesu Sacerdote* Rmi P. Sacri Palatii Apostolici Magistri jussu diligenter attentoque animo legi. Nihil illo nitidius, nihil elegantius: acrem etiam in obscurissimis rebus illustrandis Doctissimi Viri curam & diligentiam Rei Antiquariæ cultores merito laudaverint. Nec, quod in ejusmodi argumento facile conjeceram, quidquam in eo offendi, non modo a Catholica Fide alienum bonisque moribus, sed quod illuc ne pertineat quidem. Romæ Nonis Maji CIƆIƆCCXLI.

Michael Angelus Giacomellus Smi Dni Nostri Cappel. Secr.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.



VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER DECIMUSQUARTUS

DE TUSCULANIS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Tusculi Urbis Situ, Conditore, & Nomine.



ALBANOS, gentem olim universi Latii dominam, Tusculani finibus suis excepere. Siquidem ad radices Albani montis, qua Septentriones prospectat, Vallis fuit Albana, Latinam Viam tangens, & Algidenses campos & silvas, ab Algido monte & oppido sic nominatas; quæ, in sinistro Latinæ Viæ latere, Tusculanum agrum habuere conterminum. Hic sub montibus Tuscu-

lanis fuit; in quorum ſupremo & præcipuo, Tuſculum urbs nobilis, & deliciarum fama ſemper celebris, rerum quoque geſtarum gloria inclita, quondam ſedit. De illa Latini Græcique Scriptores, Hiſtorici pariter ac Poetæ, ceterique paſſim meminere. Ex quibus (quandoquidem, pluribus jam ſæculis, in ruinis jacet, quæ fere omnes etiam vix non periere) diligenter nobis ſitus, quo præcipuè fuit urbs Tuſculum collocata, veſtigandus hic eſt. Itaque conſtanter dicimus, confidenterque aſſerimus, teſtium, teſtimoniorumque nube ad hoc freti confirmatique, Tuſculum eo loco antiquitus conſtitutum fuiſſe, ubi nunc quoque in ſummitate Tuſculani montis, ſupra Sacchettorum villam, nunc Collegii Romani Societatis Jeſu, atque Pamphiliam, vetuſtum ipſum nomen *il Tuſcolo*, perpetuaque accolarum oppidi *Fraſcati*, & Romanorum quoque traditio, opinioque conſentit, conſenſitque ſemper, Tuſculum extitiſſe. Neque, ad id demonſtrandum, pluribus eſſet opus, nemine per multa ſæcula huic veritati contradicente; niſi recentiores pauci Scriptores, nuper, de hoc ſcrupulum aliquem eruditis injicere, dubiumque creare, leviſſimis quibuſdam conjecturis adducti, voluiſſent. Eo forte capti cacoethe, quod per hæc tempora plurimum invaluit, de omnibus dubitandi, reſque vetuſtas, etiam certiſſimas, in controverſiam tamen adducendi. in quo demum ſapere & virum literatum eſſe, *clariſſimique* appellationem

nem promeritum, permultis ſtare videtur. Hos lubentiſſime amplexus nuperus Tuſculanarum antiquitatum Scriptor, diligens ceteroquin & eruditus, Barnabas Mattejus Tuſculanus; quod in patriæ ſuæ, præſentis urbis *Fraſcati*, quæ de ruinis veteris Tuſculi, & conditores, & nomen, delicias quoque & celebritatem eſt mutuata, majorem laudem concedere poſſe exiſtimavit; locum antiquæ urbis Tuſculi eo præcipue ſitu, quo urbs eadem *Fraſcati* ſedet, vel certe proximo, haud ita ſublimiori loco fuiſſe, probare conatus eſt. Irrito tamen, ſi quid judico, labore & conatu. Quæ, ne magnificentius a me dicta quam verius videantur; age jam, probatiſſimis vetuſtiſſimiſque ex auctoribus, veteris urbis Tuſculi ſitum demonſtremus. Itaque, Strabo, libro quinto, qui de Italiæ deſcriptione eſt, de Latinis urbibus locutus Ἐν ὄψει inquit, ἐν ὄψει δὲ εἰσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβουρά τε, καὶ Πραίνεστος, καὶ Τοῦσκλον. ſcilicet: *in conſpectu ſunt iis, qui Romæ ſunt, Tiburque, & Præneſte, & Tuſculum.* paulloque poſt, Tibure atque Præneſte deſcriptis, ad Tuſculi urbis ſitum deſcribendum ſic pergit: Ῥεῖ δὲ διὰ τῆς Οὐέρεσις ποταμός. πρὸς ἕω δὲ τῆς Ῥώμης αἱ λεχθεῖσαι πόλεις. Ἐνδοτέρω δὲ τῆς κατ᾽ αὐτὰς ὀρεινῆς ἄλλη ῥάχις ἐστὶ, μεταξὺ αὐλῶνα καταλείπουσα, τὸν κατ᾽ Ἄλγιδον, ὑψηλὴ μέχρι τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους. Ἐπὶ ταύτης δὲ τὸ Τοῦσκλον ἵδρυται, πόλις οὐ φαύλως κατεσκευασμένη. Κεκόσμηται δὲ ταῖς κύκλῳ φυτείαις, καὶ οἰκοδομίαις, καὶ μάλιστα ταῖς ὑποπιπτούσαις ἐπὶ τὸ κατὰ τὴν Ῥώμην μέρος. Τὸ γὰρ Τοῦσκλον ἐνταῦθά ἐστι λόφος εὐγεως, καὶ ἔνυδρος, κορυφούμενος ἠρέμα πολλαχῆ, καὶ δεχόμενος βασιλείων κατασκευὰς ἐκπρεπεστάτας. συνεχῆ δὲ ἐστὶ καὶ τὰ τῷ Ἀλβανῷ ὄρει ὑποπί-

ϖτοντα τὴν ἀυτήν τε ἀρετὴν ἔχοντα, καὶ κατασκευήν. nempe: ſic ad verbum fideliſſime: *Fluit autem per medium regionis* (Præneſtinæ ac Tiburtinæ) *Vereſis fluvius. Ad ortum autem Romæ ſunt dictæ urbes. Interius autem, infra ipſas, montana alia ſpina dorſi eſt, poſt ſe vallem relinquens, quæ eſt ad Algidum, ſublimis uſque ad Albanum montem. Super hac montana ſpina dorſi Tuſculum ſedet, urbs non male conſtructa. ornata eſt autem circumplantationibus, & ædificiis, & maxime illis, quæ vergunt ad partem, Romam verſus. Tuſculus enim ibi eſt collis fertilis, & irriguus, adſurgens placide multis ex partibus, & complectens regiarum apparatus decentiſſimos. Continuata autem ſunt & ea loca, quæ Albano monti ſubjacent, eamdemque ſoli naturam habentia, &* (ædificiorum) *apparatum.* Ita Strabonis locus Latine verſus ad literam. qui interpretatus, apud Cluverium, paullo ornatius, ſic legitur. *Per eam regionem Vereſis amnis fertur. Dictæ autem urbes ab Roma ad ortum verſus ſitæ ſunt, Intra montium jugum, ad quod eæ ſunt conditæ, aliud eſt dorſum ſublime, convallem relinquens, quæ eſt ad Algidum; ad Albanum uſque montem adſurgens. Hoc in dorſo Tuſculum eſt poſitum; urbs minime contemnendo adparatu. nam circumquaque exornata eſt plantis atque ædificiis, maxime qua parte Romam proſpicit. ibi namque Tuſculum habet collem, terræ bonitate & aquarum copia præclarum, qui multis partibus ſenſim attollitur; regia ædificia pulcherrime extructa ſuſtinens. Huic continenter adjacent loca ſub Albano monte; & natura & ornamentis ædi-*

Ital. antiq. l. 3. pag. mihi 441.

ædificiorum eiſdem prædita. Ex quo tam præclaro Strabonis teſtimonio ſitum urbis Tuſculi pulchre deſignatum habemus; illumque in ſummo montis, qui nunc quoque Tuſculanus habetur, fuiſſe, cognoſcimus. Siquidem *in montana ſpina dorſi* (hoc enim proprie eſt ῥάχις) perhibetur Tuſculum conſtructum fuiſſe. Spina enim dorſi, ſummitas eſt ejuſdem in animali, puta, jumentis, equis, aliiſque quadrupedibus; unde vocis ſimilitudo ad montis cacumen in longum productum ſignificandum deducta eſt. Rurſum, ait Strabo, ædificia urbis Tuſculanæ, & villarum, quæ circa ipſam erant, continuata fuiſſe cum iis, quæ ſub Albano monte erant, ad vallem circa Algidum; quod loco, nunc quoque *Tuſcolo* nominato, apertiſſime congruit. ex eo enim cacumine, molliſſimo clivo, ad ipſa loca, ubi olim Algidum oppidum, Via Latina, Vallis Albana, ſub ipſo Albano monte, conſtituta, deſcendimus. Neque his opponitur, addidiſſe hic Strabonem quod collis Tuſculus ſive Tuſculanus erat irriguus; cum locus *Il Tuſcolo* nunc quoque vocatus, aridus ſit omnino; neque irriguus olim eſſe potuiſſe, facile appareat, cum ceteris circa ſit eminentior. Qui enim hoc opponit, teſtimonium Strabonis vel non legit, vel plane non intellexit. nam Strabo, non Tuſculum urbem in colle irriguo fuiſſe, ſcripſit; ſed Tuſculum, ſive Tuſculanum collem, ſub urbe Tuſculo extantem, qua parte Roma proſpicitur, irriguum ac fertilem, vil-

villarumque regiis ædificiis ornatum aſſeruit. vocavitque *collem Tuſculum*, quemadmodum & Scriptores alii *Tuſculam terram*, *Tuſcula rura*, & *Tuſculam umbram*, aliaque ad Tuſculum urbem pertinentia, nominavere; pro eo ut dicerent *Tuſculana*. De quibus infra opportune. Igitur ex Strabone, ſitum fuit Tuſculum *in montana ſpina dorſi* montium Tuſculanorum; ſub qua collis fuit Tuſculus, fertilis, irriguus, & ædificiis ornatus, Romam verſus. En locum *Il Tuſcolo* nunc quoque conſtanter appellatum graphice admodum deſcriptum, ſub quo ſedere videmus Tuſculanum collem, in quo præſens urbs *Fraſcati*; & amœniſſimæ, irriguæque villæ Romanorum coluntur. Quod altero ejuſdem Strabonis teſtimonio confirmatur. idem enim, Latinam Viam deſcribens (Græca conſulto omittimus) *incipit Via Latina*, inquit, *ab Appia, ad ſiniſtram, ab ea prope Romam deflectens: tranſienſque ſuper Tuſculanum montem, inter Tuſculum urbem & montem Albanum, tendit ad Algidum oppidulum*. Hæc Via modo, omnium, etiam adverſariorum conſenſu, Via eſt latiſſima, quæ circa locum, vulgo *Oſteria della Molara*, Albanum inter & Tuſculanum montem ſternitur, & frequentatur. Ex hujus, itaque, ſiniſtro latere, in ſpina dorſi montis Tuſculani urbs *Tuſculum* olim fuit. Ergo in loco, ubi nunc quoque nomen *Il Tuſcolo*. cum e contrario, oppidum recens *Fraſcati* diverſum valde ab hac Via abſit, & ab Albano monte longe recedat. His conſona Latini

Scri-

Scriptores protulere. Horatius Tuſculum vocavit *ſupernum*; 1. ſcilicet, ſupra montem ſitum. *Nec ut ſuperni villa candens Tuſculi Circæa tangat mœnia.* hoc apte urbi in ſpina dorſi montis conſtitutæ convenit; minus apte, ſi loco, ubi nunc *Fraſcati*, vetus Tuſculum ſediſſet: vix enim in clivo, planis erectiori arvis, attollitur præſentis urbis ſitus. Quodque Horatius, pro *ſuperno* Tuſculo, in *ſummitate montis*, intellexerit conſtitutum, id ex alio ejuſdem Poetæ teſtimonio clarius etiam, immo evidentiſſime oſtenditur. ait enim ad Mecænatem: 1. Od. 1. Epod.

Nec ſemper udum Tibur, & Æſulæ 2. 2. Lib. 3. Od. 29.
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ.

En ut clariſſime, Tuſculum, ab Telegono conditum in jugo montis *Telegoni juga vocavit*. *Jugum* autem, cacumen, & ipſa ſummitas montis eſt Latinis; ut omnibus conſtat. Ac ne forte credas, per poeticam licentiam, Horatium abuſum vocabulo fuiſſe; audi veterem ejus Interpretem in hunc locum: *Tuſculum Civitas eſt in jugo montis conſtituta. hanc ſignificat nomine Conditoris. A Telegono enim Circes filio fundata eſt. qui per ignorantiam patrem ſuum Ulyſſem interemit.* Quid apertius planiuſve dici potuit, ad ſitum Urbis Tuſculi deſignandum ab auctore, qui Romæ, in conſpectu Tuſculi adhuc extantis ſcribebat, qualis fuit vetus hic Horatii interpres? Ovidius quoque his ſuffragatur. Tertio enim Faſtorum, de menſium numero,

apud

re debent; in loco, *il Tuſcolo* nominato, veſtigia veteris urbis Tuſculanæ, quamvis quinque jam ab hinc ſæculis & eo amplius, ſolo æquatæ, atque ab hoſtibus funditus, inexplebili odio, exciſæ, non obſcura tamen apparent adhuc; multoque magis, centum circiter abhinc annis apparebant, Kircherii ætate. Cum, ad recentis oppidi *Fraſcati* domos, Tuſculanaſque Romanorum villas magnificentiſſimas extruendas, in dies ea rudera diminuta, atque adeo vix penitus non abſumta fuiſſe, plane ſciamus, ipſique propriis oculis uſurpemus. Et tamen mœniorum circuitum, ex veſtigiis eorum conquiſitum, potuit Kircherus in ſummo Tuſculani montis deſignare;& Amphitheatri exteriorem murum, aliorumque Tuſculanæ urbis publicorum privatorumque ædificiorum rudera oſtendere. Longitudinem, itaque, urbis 7. uſque ad præruptum & inacceſſum montis dorſum, ducentorum viginti paſſuum dimenſus eſt; variam latitudinem. ubi enim maxima fuit, quingentos pedes; ducentos, ubi minima, extendebatur. amphitheatri vero dimidium, palmos centum viginti. Præter hæc, quæ nos quoque, ab ipſa pene adoleſcentia, ſingulis autumnis luſtravimus toties; alia quamplurima, carices inter, dumos atque vepreta, a quibus obruta paſſim vetuſtiſſimorum ædificiorum rudera ſuffocabantur, alia quoque dirutæ urbis argumenta certiſſima deprenſa ſunt. Præcipue vero decem circiter abhinc annis, Sacræ Chriſtianorum Ædis Principis, vul-

7. *Vet. Lat. & Nov. part. 2. pag. 55. cap. 1.*

vulgo *la Cattedrale* detecta sunt fundamenta; in iisque marmorum pretiosa fragmenta; columellæ item marmoreæ ad altare sæpiendum, nobis modo *li balaustri*. marmorea fulcra ad cereos sustentandos; aliaque sacrarum ædium apud nos adhibita ornamenta. pavimenta quoque, in quibus marmoreæ Cruces opere tessellato compositæ. Denique Christianorum sepulcra, in quibus eorumdem ossa permulta, aliaque Ædis Christianorum sacris deputatæ argumenta plura certissima, quæ ipse vidi, attrectavi, ac diligenter inspexi, & consideravi. At hæc Ædes, tanto ornatu, nonnisi in urbe antiqua Tusculana fuit. Eo igitur loco, ubi detecta tot rudera & monumenta, fuit vetus Tusculum.

Quid si, & ipse situs, ubi nunc oppidum *Frascati*, diligenter inspectus atque discussus, ipse se prodat, nullatenus veteris Tusculi sedem fuisse; palmamque hujus gloriæ loco nunc quoque vocato *il Tuscolo* ipse concedat, atque ultro adjudicet? Et tamen rem ipsam pulcre tenemus. Quid enim de oppidi *Frascati* origine externi domesticique Scriptores perhibent? hæc scilicet. Diruto atque exciso veteri Tusculo ab Romanis una cum Tiburtinis, anno a Virginis Partu millesimo centesimo nonagesimo primo; ædificiisque ejus, ab ipsis fundamentis subrutis, & incensis; crudelissimam post plurimorum civium necem, ac stragem, paucos, eosque fere ex plebe, qui cladem effugerant, ad locum villarum Lucullanarum descendisse; ibique

quod nullis hic ædificiis esset instructus, nisi forte muris aliquot adhuc extantibus Piscinarum Luculli, profugos illos tuguria & tesqua de frondibus ac ramis arborum, subitario ac tumultuario opere construxisse, quibus aliquatenus tempestatum incommoda propulsarent. Quæ, vernacula Italorum lingua, quod vocarentur, vocenturque *Frascati* (siquidem rami frondentes arborum *Frasche* dicuntur) inde novo oppidulo nomen factum *Frascati*, non vero *Frescati* a frigore, nobis *il Fresco*: quod extra Italiam nati Scriptores putaverunt, atque scripserunt; Italica nomina pessime, de more pronuntiantes, ac derivantes. Quod autem recens oppidum *Frascati* circa Luculli villam atque adeo piscinas, cœptum fuerit ædificari; luculentum, ex nomine Sacræ Ædis Principis, immo tunc unicæ, quam profugi Tusculani construxerunt, testimonium habemus. Hæc enim antiquo ac primo suo nomine *Sanctæ Mariæ in Vivario* vocata est; ut ex vetustis ejus codicibus satis apparet, quæ nunc, ob imaginem Sancti Rocchi, prodigio in ea detectam, vulgo *La Chiesa di S. Rocco* appellari consuevit. *In Vivario* autem est dicta, ex eo quod muri, latera ejusdem conficientes, reliquiæ essent unius ex Vivariis, ad servandos pisces, vel quadrupedes etiam, in Luculli Tusculana celeberrima villa constructis. Profecto, circa hanc ædem, postquam ex patriæ clade respirare aliquatenus ex profugis Tusculanis exorti filii cœpere, tuguria ex ramis arborum con-

confecta, in pauperrimas cœmentitias domunculas ædificatas commutavere. quas humillimas ac tenuissimas, tenebricosas quoque ac sese invicem angustiis vicorum opprimentes nunc videmus circa idem templum. quas tamen duorum sæculorum antiquitatem non excedere, satis scimus. Cum, ipso sub Paullo Quinto Romano Pontifice, Antistitem Tusculanum ad oppidum *Frascati* jam translatum a Paullo Tertio, sub tabernaculo, ob ædificiorum inopiam, ditionis suæ possessionem inire solitum fuisse, noverimus. Certe ipsam S. Mariæ & Divi Rocchi ædem intrantibus, depressus situs, & humidus supra modum, Vivarium, in quo sita est, statim suggerit. Sed & ædes sanctissimo Jesu Nomini sacra, quæ olim Divæ Magdalenæ sacellum, a Lucretia Roborea, ex Urbini Ducibus, a fundamentis, vicinis cum domibus excitata, nunc autem per Olympiæ Aldobrandinæ atque Pamphiliæ liberalitatem, elegantissime renovata, atque ornata, ac Societatis nostræ Patribus attributa, in ejusdem Luculli villæ fundamentis erecta fuit. aquarumque formæ, dum locus effoderetur, detectæ sunt ingentes: & aquarum venæ saluberrimæ, domi, a Divo Francisco Borgia Societatis Generali Præposito Tertio repertæ, quæ nunc quoque, tum domesticis, tum etiam civibus universis, si quando publici fontes contineantur, maximo usui sunt. His adde, quæ Mattejus ipse memorat, aliarum villarum reperta vestigia, per eum

eum tractum, in quo recens oppidum *Frascati* constitutum est. Hæc namque extra urbis antiquæ Tusculanæ situm, locum eumdem fuisse, plane declarant. Quamvis enim Mattejus, contra suam de Tusculi antiqui situ sententiam, hæc pugnare apertissime noscens, potuisse, dicat eas villas intra Veteris Tusculi ambitum comprehendi; exemploque Romæ, latissimum murorum spatium, intra quod, & Horti, & Naumachiæ & Thermæ, aliaque ad delicias ædificia vastissima concludebantur, se tueri conetur; probabilia tamen de Tusculo minime excogitavit. Ait enim disertis verbis Strabo; villas Tusculanas Romanorum *circa* veterem urbem Tusculi constitutas fuisse; scilicet *in suburbiis*, *post mœnia*. Rursum, ex Sulpicii nummo, in quo Tusculi veteris figura cernitur, eam urbem in jugo montis positam nec vastæ admodum magnitudinis fuisse, cognoscimus, murisque circum ac turribus munitam undique; unde villarum vastissima spatia mœnibus exiguæ urbis comprehendi minime potuere. Urbis Romæ vero exemplum, quod affert Mattejus, nihilum magnitudini antiqui Tusculi suffragatur. Nam & ea ædificia, quæ Mattejus dicit, olim intra Romana mœnia conclusa fuisse, Cæsarum ætate non fuere antiquiora; cum prius etiam UrbsRoma arctioribus multo spatiis concluderetur. & eorum multa, suburbana quidem & summœniana, extra muros tamen fuerunt. Jam vero Tusculum oppidum Roma Cæsarum opibus flo-

florente, non ſolum non crevit; verum potius eſt imminutum; Reginæ urbium, cum reliquis vicinis oppidis, augmento ſerviens: ſi de ipſo oppido Tuſculi, mœnibus cincto, ſermo ſit. Haud magni autem circuitus illud fuiſſe, tum de Strabone, tum de Silio cognoſci poteſt. Strabo enim dixit, Tuſculum fuiſſe *urbem haud contemnendo apparatu, ſive non male ædificatam in dorſo montis ſummo*. Silius vero de Annibale 8. 8. Lib.12.

Linquens Telegoni pulſatos ariete muros,
Haud dignam inter tanta moram.

Innuens uterque, exiguum potius oppidum ipſum Tuſculum fuiſſe, quam vaſtum. Quare ſi, loco, ubi nunc oppidum *Fraſcati*, villa fuit Lucii Luculli vaſtiſſima & celeberrima, aliæque perſimiles, quemadmodum hactenus oſtenſum eſt; & hæ certo certius extra veterem Tuſculi urbem fuere; quippe quæ ſpatium, multo amplius ipſa urbe Tuſculo, ædificiis complectebantur; planiſſime etiam adverſariis, cuilibetque, reluctanti licet, ac renitenti, fatendum eſt; alio igitur loco ab eo, in quo nunc *Fraſcati*, vetus Tuſculum conſediſſe. Cumque teſtimoniorum nubes aſſeveret, eum locum, jugum eſſe Tuſculani montis, quod ab immemorabili ævo appellatur *il Tuſcolo*; nullus, niſi obſtinatiſſimus cognitæ jam veritatis impugnator, eam antiqui Tuſculi ſedem fuiſſe, pernegare deinceps poterit. Et ſane pauciſſimi, iique recentes admodum, nec locorum, de quibus agimus, ſatis periti, in dubium idem

idem vocaverunt, aut etiam negaverunt. Nam ad ætatem usque Athanasii Kircherii, de vero antiqui Tusculi situ nulla dubitatio, aut controversia exorta fuerat. quod ille disertis verbis memoravit. inquit enim: *De situ hujus 9. urbis nullam prorsus controversiam apud authores reperio; cum in nullo alio loco constiterit, quam in ultimo, supremoque Tusculani montis jugo, prout rudera ingentia, quæ passim illuc tendentibus obvia fiunt, luculenter demonstrant.* Vix tamen hæc scripserat Kircherius, cum Lucas Holstenius, Philippi Cluverii antiquam Italiam notis illustrans, prodiit; inspectoque Tusculani montis jugo, ejusque ruderibus consideratis, rem primus ac veritatem de antiquissima apud omnes creditæ possessione deturbare conatus est. scripsit enim, Antiquæ urbis Tusculi sedem paullo ultra oppidum *Frascati* fuisse: *Non autem* (Holstenii verba) *in summo montis jugo, ubi rudera, & vestigia maximorum ædificiorum conspiciuntur, ubi vulgo vetus Tusculum fuisse creditur; quam opinionem Cluverius etiam amplectitur: sed si locum ipsum propius inspexisset, aliter sane judicasset. Nam ego diligenti perlustratione comperi, villam privatam eo loco fuisse, non oppidum. Tum situs ipse repugnat; nam locus ille, quamvis & Romam, & Albanam vallem prospiciat; magis tamen in hanc partem vergit, ubi ingentium fornicum substructiones visuntur. Romam versus extat Theatrum; sed & illud privatum potius, quam publicum, ut ex magnitudine apparet. Tum vero distantia & intervallum repugnat; nam distantia illa,*

9. Lat. par. 2. pag. 55. cap. 2.

la, non duodecim, ſed quindecim, ut minimum, aut ſexdecim mille paſſus abſunt ab urbe Roma. Tum Strabonis deſcriptioni ſitus ille repugnat; quippe cui ex proximo cacumen montis ſaxoſum, & aſpectu horridum imminet; neque vero copia aquarum huic loco convenit: ſed ipſi oppido Fraſcati: *unde facile apparet, hunc levem eſſe errorem, non veram & probabilem ſententiam*. Hactenus Holſtenius, novæ hujus, de vetuſti Tuſculi ſitu, opinionis anteſignanus. Cujus rationum momenta antequam expendo, & diſſolvo; illud eſt animadvertendum; fateri Holſtenium, *in jugo Tuſculani montis rudera & veſtigia maximorum ædificiorum conſpici*. quod aliqui ex ejus ſectatoribus, confidenter nimis, negarunt. rurſum, fateri, *ibi, vulgo creditum, extitiſſe Tuſculum*; denique *Cluverium eam ſententiam, quod in ſummo jugo Tuſculum fuerit, amplexum fuiſſe*. Quod Barnabas Mattejus perperam negavit; inter Holſtenianæ ſententiæ fautores Cluverium detorquere conatus. His animadverſis; Holſtenii objecta perpendamus; & diſſolvamus perfacile, ex hucuſque veterum Scriptorum teſtimoniis allatis. Atque ad id quidem, quod ait Holſtenius, *Nam ego diligenti luſtratione comperi, villam privatam eo loco fuiſſe, non oppidum*; cum nullam hujus ſuæ luſtrationis & judicii, de villa privata magis quam de oppido, cauſſam, ſive rationem afferat; ſatis foret reponere, *me, poſt ipſum perſæpe diligenti luſtratione comperiſſe, oppidum eo loco fuiſſe, non villam privatam*. Uterque enim oculati teſtes fuimus. Ego

vero Italus, atque adeo Italicarum rerum, locorum, ac nominum, naturaliter, & ſine jactantia paullo peritior. Inſuper annuus fere loci inſpector, autumnalibus Feriis. Nolo tamen meam cum Holſtenii, viri clariſſimi, authoritatem æquare. Verum illi graviſſimam Raphaelis Fabretti, viri, ſi quis alius, eruditæ antiquitatis ſcrutatoris diligentiſſimi, ſolertiſſimique indagatoris, authoritatem oppono. Qui, Holſtenii verbis perlectis, eaque nihil moratus, oculatum ſuum teſtimonium veri-
10. *In Grunneu.* tati ſic tulit: 10. *Munitionis veteris Tuſculi veſtigium haud leve apparet in rupe, pluribus in locis; ſed præcipue qua parte ſeptentriones reſpicit, manufacto opere ad perpendiculum cæſa, & ſummi illius verticis complanatione; quæ tantæ molitiones in ſolo ſaxoſo, & omnem culturam reſpuente, non privatam aliquam, ſed publicam tuto, atque opportuno loco, urbis condendæ curam præſe-*
11. *Vide Fabrettum.* *ferunt*. 11. Pauciſque interjectis, ſubjicit: *Via etiam Tuſculana a Latina deflectens ſupernum noſtrum Tuſculum, ſupra Cœnobium Camaldulenſium, ubi Furiorum ſepulcrum recens inventum fuit, indubie petit, ejuſque ſitum proinde indicat*. En ut Fabrettus, humanius ſuæ opinioni de oppido, non de villa privata, rationum momenta addidit; quæ ſuæ Holſtenius omiſerat. Hic tamen adjecit: *Tum ſitus ipſe repugnat; nam locus ille, quamvis & Romam, & vallem Albanam proſpiciat; magis tamen in hanc partem vergit, ubi ingentium fornicum ſubſtructiones viſuntur*. Quibus in verbis, nota primum, fateri Holſtenium,

lo-

locum, ubi dicimus, vetus Tuſculum ſediſſe, vere in proſpectu Romæ eſſe; rurſum ingentium fornicum ſubſtructiones ibidem viſi. Quid tum, ſi magis in Albanam vallem vergit, clarioraque veterum ædificiorum ibi apparent veſtigia? Num hoc Strabo, vel antiquorum Scriptorum aliquis, veteri Tuſculo abjudicavit? Profer. ait Strabo, Tuſculum vetus in conſpectu Romæ fuiſſe; jugum, de quo quærimus in conſpectu Romæ eſſe, fateris; ibique aliqua veſtigia veterum ædificiorum, immo vero Theatri apparere, non inficiaris. Hinc igitur, loco, ſedem Tuſculi fuiſſe, merito negare non potes. *At*, inquis, *quamvis Romam verſus extet theatrum; & illud privatum potius, quam publicum ex magnitudine apparet*. Jam igitur Theatrum, ædificium ſane privatorum domibus magis conſpicuum, Romam verſus extare non diffiteris; magnitudinem tamen carpis, utpote exiguam, urbiſque publicum Theatrum dedecentem. Quod probabile fortaſſe foret, ſi Latinorum municipiorum ædificia de Romanorum ædificiorum magnitudine dimetiri deberemus. At metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt. Municipiorum circa Romam, quamquam illuſtrium, publica ædificia, multo arctiores intra fines quam Romana, contineri conſueviſſe, & ex antiquis auctoribus ſcimus, & ipſi oculati teſtes, in luſtrandis Latii urbibus, plane cognovimus. Quid, quod ipſa Romana ædificia, templa, theatra, thermæ, aliaque ante Julium

Cæſarem, anguſta admodum extiterunt? Quod Alexander Donatus noſter, in eruditiſſimo Opere *De Veteri ac Recenti Roma*, teſtimoniis quampluri-mis jam oſtendit. Non itaque, fuit parvum Tuſculanum theatrum, neque ejus gyrus urbem dedecuit; ſi montanum jugum, ubi fuit conſtructum conſideres; ſi municipiorum mores frugales, neque deliciis diſſolutos memineris; ſi murorum Tuſculanæ urbis munitiſſimæ in breve contractum circuitum perpendas; ſi, denique, theatri ipſius, quod exiguum nimis tibi videtur, dimidium, ſive *diametron* ut ajunt, palmorum centum viginti extitiſſe, ex Kircherii diligenti menſura, recolas. Quibus adde; altitudinem ejuſdem nos ignorare; quæ abunde, in ſublime protenſa, latitudinis anguſtias penſare potuit. Pergit Holſtenius. *Tum vero diſtantia, & intervallum repugnat; nam diſtantia illa non duodecim, ſed quindecim ut minimum, vel ſexdecim mille paſſus abſunt ab urbe Roma*. Eſto, rudera veteris Tuſculi ab urbe Roma abeſſe, ex Holſteniana computatione, millia paſſuum vel ſexdecim; attamen hoc intervallum & hæc diſtantia non modo ſedi veteris Tuſculi non repugnat; quin immo eidem aptiſſime congruit. Quod ſic oſtendo. ſcias enim oportet, præſens oppidum *Fraſcati* ideo duodecim mille paſſus, deprenſum eſſe, diſtare Roma; quia flexuoſa maxime via, & a Porta Cœlimontana, deducta, a nobis aditur. Ceterum, recto tramite, via, vel a Latina Porta, vel a Nævia incipiente, haud

multo

multo plus octavo milliari ab Roma diſtare, compertum eſſe. Hicque calculus nuper non ſemel eſt inſtitutus & habitus ab Agrimenſoribus per decempedas; cum de breviori itinere, viaque commodiore, utpote recta, quæ eſt omnium breviſſima, aperiunda, ad ruſticantium Romanorum uſus, deliberatum fuit. Jam vero, ſi Holſtenio, quatuor mille paſſus amplius recenti oppido *Fraſcati*, diſtare Roma rudera, quæ aſſeruntur Antiqui Tuſculi, comperta ſunt; ait enim, ea vel ſexdecim milliariis Roma diſtare) cum nunc Tuſculum novum, *Fraſcati*, via, qua aditur, duodecim milliaria diſtet, jam rudera ipſa recto itinere duodecim ad ſummum, milliaria diſtabunt Roma. Quid autem Dionyſius ac Joſephus de veteris Tuſculi ab Urbe diſtantia teſtificati fuerint, attulimus ſupra. centum, nempe, illud ſtadia diſtaſſe, quæ duodecim milliaria cum dimidio conficiunt. quod dimidium, flexus aliquos Viæ antiquæ Latinæ, qua vetus Tuſculum adibatur præcipue, conſumpſiſſe, nemo jure negare poterit. Ergo, ex Holſtenio demum ipſo, conſtat, diſtantiam ruderum in jugo Tuſculano, non modo non repugnare, quin immo apertiſſime veteris Tuſculi, traditæ ab Scriptoribus, ab Urbe diſtantiæ congruere. *At*, inquit, *Strabonis deſcriptioni ſitus ille repugnat; quippe cui ex proximo cacumen montis ſaxoſum & aſpectu horridum imminet; neque vero copia aquarum huic loco convenit; ſed ipſi oppido Fraſcati*. Immo nullus magis antiqui Tu-

Tusculi signanter locum nobis ostendit, atque descripsit, ut hoc jugum id loci esse nosceremus, quam Strabo. Ait enim, vetus Tusculum sedisse intra dorsum sublime montium; in ipsa spina montana dorsi; post vallem, quæ est ad Algidum, venientibus Præneste; imminens Viæ Latinæ; vallem Albanam respiciens hinc, inde Romam. hæc omnia adamussim cum loco *il Tuscolo* congruere millies perspexi; perspiciuntque quotidie adeuntes. Tantum vero abest, ut vicinitas saxosi & aspectu horridi cacuminis officiat huic veritati; ut etiam illam magis confirmet. Unde enim cacumen istud horridum apparet? ex eo nimirum, quod manibus hominum cæsa rupes fuerit ad perpendiculum, qualiter Fabrettus optime consideravit; & cacumen ipsum saxosum, molitionibus complanatum, quod, nudum omnino atque asperum, sedem arcis Tusculanæ munitissimæ atque editissimæ, opportunissime præbuit. De qua Dionysius inquit: 12. *Fabius contra Æquos properavit Tusculum; qui discesserant, jam urbe direpta, & paucis in arce relictis, quod esset munitissima*; scilicet maxime a loci natura, ut antiquæ arces fere omnes. Illud vero, quod ait Strabo, *Tusculum circumquaque exornatum fuisse plantis, atque ædificiis, maxime qua parte Romam prospicit*, de suburbiis Tusculi recte intelligendum est. Siquidem spina montana dorsi, in qua urbs proprie ab eodem dicitur constituta, plantationum & ædificiorum in circuitu capax non fuit. Quemadmodum igitur plan-

12. Lib. 10.

plantationes istæ extra urbis muros certo fuere; ita & ædificia, maxime qua parte Roma fuit in conspectu. Ceterum, Strabo, numquam, vetus Tusculum, urbem ipsam dico, aquarum copia irrigatum fuisse, dixit; quod male Holstenius, aliique perpauci credidere. Strabo enim, postquam situm urbis Tusculi in summitate montis descripsit, subdidit, qua parte Romam prospicit, Tusculus est collis, fertilis & irriguus. Aliud itaque est *urbs Tusculum*, aliud *Tusculus collis*. De hoc, quod irriguus esset, non de urbe Tusculo, Strabo affirmavit; quod etiam constat evidentissime: nam aliter, inepte his verbis ipsius descriptionem habuisset. Primo, itaque, sapienter situm ipsius Tusculanæ urbis in summo dorso montis designavit; deinde agri bonitatem, ac præcipue Tusculi collis seu Tusculani, sub urbe Tusculo, qua parte Romam prospicit, adsurgentis, delicias. Optime igitur omnia congruunt. Nec locus *il Tuscolo* irriguus esse debuit; cum sedes Tusculi veteris nec fuerit, nec fuisse dicatur unquam a Strabone irrigua; collis autem Tusculus fuit *irriguus*, atque adeo nunc est; siquidem oppidum præsens *Frascati*, aquarum copia abundans, in eodem Tusculo colle situm, non diffitemur. Itaque dissolutis jam Holstenianis omnibus in contrarium argumentis, meritissime confirmamus, diligenti perlustratione, nos comperisse, in summo Tusculani montis jugo, ubi rudera & vestigia maximorum ædificiorum cospiciuntur,

tur, ubi vulgo vetus Tuſculum fuiſſe creditur, non privatam villam, ſed ipſam urbem Tuſculum certo certius conſtitutam fuiſſe. Unde evidenter ſatis conſtat, hunc non levem aut popularem eſſe errorem; ſed veriſſimam, ac nube denſiſſima teſtimoniorum graviſſimorum ſtabilitam ſententiam eſſe. Profecto Gronovius (quem *Grunnovium* a Fabretto ſalſe appellatum, ipſe quoque Mattejus innocenter *Grunnovium* nominat) Gronovius, inquam 13. Baudrandus, Offmanus, Monfauconius, & Hieronymus Ferruccius, quos Mattejus, Holſtenii ſententiæ ſectatores affert, obiter tantum, nullaque rei diſcuſſione habita, veritati ſunt adverſati. In quibus proinde impugnandis, cum nil ultra Holſteniana objecta, protulerint, non immorabimur. Hoc quidem rurſum animadvertendum; male Mattejum inter hujus ſententiæ fautores numeraſſe Cluverium, quaſi ſedem veteris Tuſculi ad oppidum *Fraſcati* conſtituerit, his verbis: *Ergo circa ipſum oppidum Fraſcatium fuit Tuſculum*. 14. Intellexit enim Cluverius, oppidum *Fraſcati*, ex iis quæ extant, omnium maxime proximum veteri Tuſculo fuiſſe; non tamen in ruinis ipſis veteris Tuſculi excitatum. Quod inſequentibus verbis diſerte explicavit. ſubdit enim. *Sane extant hodieque ſuper Fraſcatium in eodem clivo ingentes murorum reliquiæ: quæ ſitu atque intervallo* XII. *ab Roma millium, Tuſculum hic fuiſſe, ut omnes docti arbitrantur viri, aperte indicant*. En ut Cluverius cum omnibus doctis

13. *Ap. Barnab. Mattei in libr. Memor. dell'Antico Tuſcol. p. 13.*

14. *Ital. antiq. l. 3. pag. mihi 942.*

ctis viris consentit sapienter; utque diligenter locum dispexit, & rudera consideravit, aperte veteris Tusculi sedem indicantia, quod Holstenius, illum omisisse, accusabat. Duodecim quoque mille passus ea rudera, non sexdecim, ut Holstenius, Roma distare, Cluverius confirmavit.

Sed, quoniam, per hæc tempora, Critici hanc veritatem in dubium, aut dubii saltem suspicionem, vocare non cessant; Barnabæ Matteii Tusculani Commentarium, Italorum vernaculo sermone scriptum, adeoque magis tritum, appellantes; juvat hic exponere, quæ ab amicis, mecum, locum, *Il Tuscolo* frequenter per autumni Ferias adeuntibus, objectari sæpius audivi; quæque ipse ad singula reposui; eo demum exitu, ut omnes, eum locum vere antiqui Tusculi sedem comperiri, unanimi consensu faterentur. Itaque, dum ambulatum eo, animi caussa, pergeremus simul; lassus quidam ex illis, præ difficili montis ascensu, Et hoc, inquit, est *mollissimum* illud iter, quo, ad antiquam urbem Tusculi ascendebatur? Bona verba, inquam; clivus ille mollissimus ex ea parte, qua vallem Albanam Tusculum prospiciebat, fuisse, tradunt Auctores. Illac, descendendo transeuntes, clivum videbimus, ejusque mollissimo descensu fruemur. Hac spe fretus, vix hic acquieverat; & ecce alter, ambagibus semitarum nonnihil offensus (si quidem inter vinearum sæpes, angustissimum callem nobis relinquentes, eumdemque

D fre-

frequenter dumis transversis implicatum, eundum erat) fieri ne potest, stomachosius paullo exclamavit, ut celebris adeo urbs Tusculum per hos anfractus adiretur? Ubi Via illa Tusculana, silice strata? nullum ejus hic apparet vestigium. Ast ego; memineris, o bone, Propertii carminum: 15.

15. *Lib. 4. El. 11.*

Et Veii veteres & Volscum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat; & in vestris ossibus arva metunt.

Scilicet, tantum ævi longinqua valet mutare vetustas! Neque tamen his caussam veritatis satis me patrocinatum credens, anxie, num vestigium aliquod veteris viæ appareret, silicernius quærebam. Cum ecce tibi ex itineris sociis alius, quem odoriferarum herbarum amor a nobis diversum aliquatenus egerat, en (monuit) viæ antiquæ non obscurum aut modicum sane vestigium. & hæc dicens, silices baculo percutiebat; nosque se ad sequendum, laxiore itinere usuros, hortabatur. Sequimur. Viæ antiquæ stratæ silice, ad locum Tusculi deferentis, tractum ingentem læti conspicimus, & calcamus. Inde ad Camaldulensium, quos vocant, religiosorum virorum Claustra simul divertimus; num ibi quoque argumenta in utramque sententiæ partem, locus, aut incolæ sufficerent, vestigaturi. Siquidem omnes in ea investigatione toti eramus. Adimus. excipimur humanissime a piis

piis viris: quos inter, ſenior & antiquus loci inquilinus, de quamplurimis vetuſtis monumentis ad Tuſculanam urbem ſpectantibus, in ea vicinia detectis identidem, nos edocuit; de Furiorum Tuſculanorum ſepulcris; de Formis ad aquas cogendas & conſervandas, intra montis cuniculos excavatis; de aliis viæ lapide ſtratæ fragmentis repertis. oſtenditque nobis, inter cetera, fragmentum marmoris, in quo *Dictatoris Tuſculani* mentio fiebat, erutum, paullo ante, in ſummi jugi planicie. Hæc nos læti ut audivimus, breviterque inſpeximus; gratiis oſtenſori actis, alacres rurſus in viam nos dedimus, ad Tuſculum aſcendentes. Tunc quidam: *omnia*, inquit, *bene*; illud tamen, quod tam celebris urbis, vel nulla, vel exiguiſſima ſane veſtigia in ſummo jugo appareant, invictum mihi quidem, ut, ibi Tuſculum fuiſſe, non credam, ſemper erit argumentum. Quamvis enim noverim, dirutam a Romanis & Tiburtinis, incenſam quoque urbem fuiſſe; tamen, num ipſa ædificiorum fundamenta alio fuere translata? Alio, (inquit ſenior Præfectus fabrum nobis occurrens, carris ac jumentis cœmentorum pondere onuſtis, ac Tuſculo deſcendentibus dux) alio, multis jam ſæculis, ad hanc uſque diem, alio, veteris Tuſculi rudera translata ſunt. Quemadmodum enim nos hæc reſidua nunc ad Falconeriæ nobiliſſimæ villæ novas additas molitiones complendas traducimus; ita factum a majoribus noſtris in ceterarum villa-

rum extruendis ædificiis. Et e ruderibus Tuſculi, maximam partem, conſtant villæ præſentes in Tuſculano; Sachetta, Falconeria, Burgheſiæ tres, nempe *Mondragone*, *villa Taverna*, *villa Vecchia*, Pamphilia, Piccolominea, Montalta, Roccia, Ludoviſia, Viſcontia, aliæque. De ruderibus pariter veteris Tuſculi ædificata ſunt Clauſtra Sancti Silveſtri ſupra montem Tuſculanum; Camaldulenſium, propius Tuſculum; & ipſa oppida, *Molaria* dirutum; *Fraſcatium*; & omnium noviſſime *Mons Portius*. Ita ut mirum ſit, extare adhuc lapidem in ſummo jugo, poſt continuas, tot ſæculis habitas, ruderum alio translationes. His auditis, immo etiam viſis; noſtrum nemo auſus eſt jam contra hiſcere; raritatemque veſtigiorum in ſummo jugo amplius demirari, aut ſuſpectam habere. Tantum, cum ad locum perveniſſemus; quidam baculo pertentare cœpit ſolum, obruentibuſque vepribus liberare, num latentia ædificiorum detegerentur fundamina, facturus periculum; cum duri ſilicis graviſque ferri ſonus exauditur; nonnullique operarii ſudore diffluentes nobis cernuntur, qui repetitis ictibus, in excavatis alte foſſis, veterum ædificiorum depreſſa cœmenta, altiſſime prius terræ demerſa, diruebant ac divellebant. totumque illud jugum atque deſcenſum quaqua verſum illis ſparſum, quæ tamen niſi ſummo labore, & ſudore adhibito detegi nequeant, & avelli, nobis teſtati ſunt. Videbatur jam in vado res eſſe; nec ullus ultra

tra ſcrupulus de loci veritate ac Tuſculi ibidem ſede, excitari potuiſſe; ſed e noſtris unus, totus moduli bipedalis, ad Occidentalem plagam converſus; heus, inquit, amici, Romam non video; & tamen in loco, Tuſculanæ urbis ſede, unde Roma proſpicitur, Strabone teſte, nunc ſumus. Aſt ego (procerus quidam excepit) Romam video. En Quirinalis & Cœlii collis ædificia; en ſublimis apex ad Divi Petri. Tu quoque ſis cape, ſodes, hunc tumulum, & Romam videbis. Cepit ille, viditqne. Quid quod, ſubdidi ego opportune, ædificia in hac ſummi montis ſede collocata altius erigebantur multo, quam nos; unde liberior fuit, multo, Romæ proſpectus? Quid quod, arbores ac vepreta, cetera denique impedimenta huic jugo nunc proxima, poſt dirutum Tuſculum ſuccrevere; quæ Tuſculanorum antiquorum civium providentia, dum floruit Tuſculum, arcebantur? Ceterum ſi vel ipſa Lucani ætate 16. *Gabios Vejoſque, Coramque pulvere vix tectæ poterant monſtrare ruinæ*; 16. *Pharſal. l.* 8.
Pliniique, adhuc poſterioris, ævo, 17. *quinquaginta tria in Latio clara oppida perierant ſine veſtigiis*; 17. *Lib.* 3. *c.* 5.
quid mirum, paucula, tot poſt direptiones, exciſæ, atque incenſæ hoſtiliter urbis Tuſculi, apparere veſtigia? Aſſenſere omnes; ibique vere Tuſculi ſedem fuiſſe, credere ſe, ad unum, congruentibus tot in veritatem teſtimoniis, ſancte dixere. Utque veterum Poetarum cultores familiares erant; alius quidem: hic igitur ſupernum illud fuit Tuſculum,

de

de quo Horatius: *Non ut ſuperni villa candens Tuſculi Circæa tangat mœnia.* alius; hic jugum parricidæ Telegoni, de quo idem vates: *Nec ſemper udum Tibur, & Æſulæ declive contempleris arvum, aut Telegoni juga parricidæ.* tertius: *hic celſa mœnia* Telegoni ſtetere, de quibus Ovidius: *Factaque Telegoni mœnia celſa manu.* quartus: en Ακροτέριον, en Δύσκολον jugum Tuſculi, altum, acutum, aſperum, atque difficile. Deſcendentibuſque nobis de monte, en, inquam, *molliſſimum clivum* in Viam Latinam; en ipſa Latina Via; en vallis Albana, ſub cognomine monte. Quid plura deſideramus? Hic vere Tuſculum fuit, *hic fuit procul dubio*: omnes.

De ſitu igitur veteris Tuſculi hactenus. De Conditore deinceps. Ad Telegonum plerique omnes, Ulyſſis filium, originem Tuſculi referunt. Siquidem Pompejus Feſtus: *Mamiliorum*, inquit, *familia progenita fuit a Mamilia, Telegoni filia: quam Tuſculi procreaverat, quando id oppidum ipſe condidiſſet.* Ovidius vero in Faſtis, de menſium ordine apud Latinos veteres locutus, 18.

18. Lib. 3.

Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat,
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.

Et rurſum de antiquitate Tuſculanæ Tiburtinæque urbium multo ante Conditam Romam:

19. Lib. 4.

Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi 19.
Stabant; Argolicæ quæ poſuere manus.

20. Epod. Od. 1.

Horatius ad Mecœnatem: 20.

Nec

Nec ut superni villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.

Ad quem locum vetus interpres: *Tusculi superni; hoc est in monte siti. Tusculum autem oppidum conditum fuit a Telegono filio Ulyssis & Circes.*

Et iterum Horatius ad Mecœnatem 21. 21. Lib. 3. Od. 29.

Nec semper udum Tibur, & Æsulæ
Declive contempleris arvum, aut
Telegoni juga parricidæ.

Ubi pariter interpres antiquus: *Tusculum civitas est, in jugo montis constituta; hanc significat, nomine Conditoris. A Telegono enim, Circes filio fundata est; qui, per ignorantiam, patrem suum Ulyssem interemit.*

Propertius idem confirmans, ad Cynthiam, oracula suburbana adeuntem, feminea curiositate ductam 22. 22. Lib. El.

Nam, quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes;
Quid petis Æaei mœnia Telegoni?

Silius, ubi de Annibale, Via Latina exercitum a Capua sub Romana mœnia ducente: 23. 23. Lib. 12.

Jamque adeo est campos ingressus, & arva Labici:
Linquens Telegoni pulsatos ariete muros.
Haud dignam inter tanta moram. nec amœna retentant
Algida, nec juxta Junonis tecta Gabinæ.

Et idem Poeta prius in recensendo Romanorum exercitu, de Catone Tusculano sic dixerat.

At Cato tum prima sparsus lanugine malas
(Quod peperere decus Circæo Tuscula dorso
Mœnia, Laertæ quondam regnata nepoti)

Sta-

24. Lib. 1. Carm. 3. Statius denique in Silvis: 24.

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Jugera.

Quod & ex Historicis, Livius atque Dionysius confirmasse videntur. Ait enim Livius de Superbo Tarquinio, cognationem cum Octavio Mamilio Tusculano jungente: 25. *Octavio Mamilio Tusculano (is longe princeps Latini nominis erat, si famæ credimus, ab Ulysse deaque Circe oriundus) ei Mamilio filiam nuptum dat*. Et Dionysius, idem pluribus, ut solet, memorans: *Tarquinius*, inquit, *reputans* 26. *secum, vi, non jure, partam potentiam, opus habere, non solum domestico, verum etiam externo præsidio; nobilissimum Latinorum & potentissimum sibi junxit necessitudine, data ei in matrimonium filia. is vocabatur Octavius Mamilius: genusque referebat ad Telegonum, Ulyssis & Circes filium. habitabat autem Tusculi*. Vetustam hanc, de gentis suæ origine, famam libentissime amplexus Cajus Mamilius Limetanus, agrorum dividundorum Triumvir, nummum percussit, in cujus anteriori parte Mercurius cum petaso & caduceo; in posteriori vero Ulysses insculptus cernitur cum baculo & pallio, pileoque, quod a Nicomacho traditur accepisse; cum cane quoque sibi occurrente. de quibus Homerus. 27. Circa illum litteræ C. MAMILIUS. LIMEĀN. hoc est. *Cajus Mamilius Limetanus*. Dictus autem sic est Mamilius a statuendis agrorum divisorum *limitibus*. Jam vero de Telegono talis apud Hyginum legitur fabula. 28.

25. Lib. 1.

26. Lib. 4.

27. Ursin. Vaillant. in num. famil. Rom.

28. Μυθολογικ: c. 127.

Te-

Telegonus Ulyssis & Circes filius, missus a matre ut genitorem quæreret, tempestate in Ithacam est delatus: ibique, fame coactus, agros depopulari cœpit: cum quo Ulysses & Telemachus ignari arma contulerunt. Ulysses a Telegono filio est interfectus: quod ei responsum fuerat, ut a filio caveret mortem. quem, postquam cognovit, qui esset; jussu Minervæ cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt; & in insulam Ææam, ad Circen, Ulyssem mortuum deportarunt: ibique sepulturæ tradiderunt. Ejusdem Minervæ monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen duxerunt uxores. Circe & Telemacho natus est Latinus, qui ex suo nomine Latinæ Linguæ (forte *genti*) *nomen imposuit. Ex Penelope & Telegono natus est Italus; qui Italiam ex suo denominavit.* Quamquam autem, juxta fabulosi sæculi historiam, hæc, captæ post tempora Trojæ, contigisse debuerunt; alii, nihilominus, Telegonum Tusculi Conditorem multo antiquiorem fecere. Unumque de primis Pelasgis, qui primam Italiæ regionem Sabinam incoluerunt, Latinique dicti sunt, Telegonum ipsum memoraverunt. Quem & Agyllæ sive urbis Agyllinæ, quæ & *Caere* & *Cæreveteres*, nunc *Cerveteri* Conditorem quidam, apud Servium, crediderunt, ajentem 29. *Hanc Agyllam quidam a Pelasgis conditam dicunt; alii a Telegono, alii a Tyrrheno Telephi filio.* Ex quibus colligit Cluverius, Telegonum ex Pelasgorum gente fuisse, & a primis Latinis, idest Aboriginibus atque Pelasgis, tribus ferme sæculis ante bellum Trojanum; pulsis ex his lo-

29. *In lib. 8. Æneid.*

locis Siculis, conditum fuiſſe Tuſculum. In quam ſententiam & Ovidius ceciniſſe videtur in Faſtis, ubi, quæ Græcorum Coloniæ quas urbes in Italia condiderint, narrat: 30.

30. *Faſt.* 4.

Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant. Argolicæ quæ poſuere manus.

Ceterum opinio de Telegono Ulyſſis & Circes filio, quod ipſe ſcilicet his ortus parentibus, poſt Trojæ ruinam, Tuſculum condidiſſet, apud ipſos Tuſculanos maxime invaluit. quam, utpote in re antiquiſſima, priſcorum teſtimoniis magis munitam hic ſequi malumus. Siquidem & Mamilii Tuſculani ab Ulyſſe & Laerte ejus patre, per Telegonum certe, originem ſe traxiſſe gloriabantur; ut ex allatis Livii Dionyſiique teſtimoniis, & nummo C. Mamilii Limetani, in quo Ulyſſem repræſentatum cernimus, plane conſtat. Rurſus etiam Tuſculi *Juppiter Dolichenus* cultus antiquitus peculiariter eſt. quemadmodum ex dedicatione Tuſculana hoc titulo ei facta, quam infra ſuo loco recitabimus, liquet. Fuit autem Juppiter Dolichenus idem atque *Dulychius*, is nempe qui in Dulychio Ulyſſis inſula & oppido colebatur. cujus cultum ad ſe, Tuſculani, translatum ab Telegono Ulyſſis, credebant, atque gloriabantur. Itaque, juxta hanc ſententiam, quam Romani quoque Scriptores veteres paſſim amplexi ſunt, Telegonus Ulyſſis & Circes filius annos vix quindecim natus, poſt patrem, per errorem, incognitumque, a ſe

oc-

occisum, in Italiam rursum cum navigasset, Tusculum in summo montis, qui nunc Tusculanus habetur, jugo, condidit; vigesimo circiter anno post incensam Trojam, ætatis vero suæ circiter sexto decimo. Cujus etiam tempora, mirum est ab aliquibus minute admodum designari supputarique potuisse. 31. Ajunt enim, quarto post bellum Trojanum anno, natum Telegonum in Circæjo Promontorio, Ulysse & Circe parentibus; anno quintodecimo ætatis, ut ajebam, in Ithacam delatum, imprudenter ibi patrem occidisse; post ejus mortem, octodecim in ea insula cum fratre Telemacho regnasse mensibus. deinde in Italiam eos simul renavigasse, Ulyssis ossibus ad Circæjum, atque adeo Circen, delatis; quæ in eo promontorio sunt tumulata. Circe vero paullo post e vivis sublata; in ejus locum regnasse, & cum ea primo Telegonum annos sex & sexaginta; in quorum primis Tusculum condidisse; anno nono regni Ascanii Ænææ filii apud Lavinium; decimo octavo ab eodem Lavinio condito; duodecim autem ante conditam Albam. ac demum Mamilia filia, ex qua uxore incertum, suscepta, diem obiisse Tusculi, annos natum septuaginta septem cum dimidio. Floruisse vero Telegonum, quadringentis circiter annis ante Romulum, Eusebius, & Divus Hieronymus auctores sunt. Cultum vero, deorum ritu, eumdem a Tusculanis, sacrificiis aris & templis, festisque diebus in annos singulos constitutis, interpretes

31. Petav. Rat. temp. vol. 2. l. 12.

 Dio-

Dionysii, Livii, Horatii, Ovidii & Silii, ad loca jam recitata, perhibent. Et hæc quidem de ætate ac gestis Telegoni, Tusculi Conditoris attulisse, sufficiat. Qui vero de his plura adhuc nosse cupiat, Barnabæ Matteii Commentarium, de Tusculi monumentis, adeat; ubi fabulosam hanc historiam, ejusque variantes sententias fuse expositas inveniet.

Jam vero de origine nominis Tusculi non una pariter Scriptorum opinio fuit. Alii enim aliunde derivaverunt. In primis, itaque, ab Græcis auctoribus *Tusclum*, & *Tysclum* aliquando appellatum est. 32. Ita Strabo in ejus descriptione, & Plutarchus in Cicerone Τȣ̃σκλον dixere. Dionysius vero & Stephanus Byzantinus, simplici vocali scripsere Τύσκλον. Verum hæc contractio vocis, quam κράσιν ipsi Græci dicunt, iisdem, in similibus vocibus fuit familiaris; ut in vocibus *Asculo*, *Castulo*, *Catulo*, *Lentulo*, ab iis Ἄσκλον, Κάςλων, Κάτλος, Λέντλος, *Asclum*, *Castlon*, *Catlos*, *Lentlos*, scriptis & pronunciatis, apparet. Quod vocum earumdem significationem minime variat. Breviator Stephani, tamen, Tusculum urbem, eamdem & *Tusculanum* appellatam, memoravit: Τύσκλος πόλις Ἰταλίας. λέγεται καὶ Τυσκλανόν. Τὸ ἐθνικὸν Τυσκλανός. scilicet: *Tysclus*, *urbs Italiæ*, *dicitur & Tysclanum*. *gentilitium Tysclanus*. In quo hic auctor, quemadmodum in aliis plurimis, egregie falsus est. Siquidem *Tusculanum* nomen fuit, non quidem urbis *Tusculi*, verum inanima-

32. *Ap. Cluver. Ital. antiq. l. 3. p. mihi 341.*

marum rerum ad eam urbem pertinentium; ut *Tusculanum* vinum, lignum, prædium, aliaque. Sed maxime ea voce prædia sive rura cum villis significari consuevere. in quibus, illud Ciceronis, ob domini famam, omnium celeberrimum fuit. Tusculi nomen derivant aliqui a *tusis glebis*; verum, male oppido, hæc derivatio a Mattejo explicatur. ait enim idcirco hinc vocem *Tusculum* derivari; quod Tusculani frequentissime arbores ad sacrificia comburenda cædentes, agrorum suorum glebas *tunderent*. auditum admissi risum teneatis amici? quasi non & alii quique populi in agris colendis quacumque ratione, imo proprius etiam, in arando, fodiendo, sarriendo, aliisque rusticis operibus; glebas non tunderent. Et tamen hæc derivatio, omnium aliarum, quas affert, Mattejo maxime placuit. Alii, itaque, melius a *thure* sive *ture*, quo frequentissime Tusculani uterentur in sacrificiis, nomen Tusculi derivatum existimarunt. Huic opinioni illud obstare videtur; quod Tusculani thuris usum in sacrificiis, ad annum usque quadringentesimum post Albam conditam, cum Latinis ceteris ignorasse perhibentur; donec a Tuscis eum usum didicerunt, Arnobio teste. Nisi tamen dixeris, Tusculanos in sacrificiis, jam ab ipso eorum urbis exordio, genus gummi adhibuisse simile thuri; quod ipsi pariter ante Thuscorum thus repertum, eodem vocabulo nominassent. Alii Tusculum quasi *discolum* δύσκολον h. e.

utrin-

utrinque difficile, *aſperum*, autumant, dictum fuiſſe; de ſitu, in quo urbs hæc fuit collocata, mutuato nomine. Quod, etſi Cluverio, Feſti Pompeji Grammaticum viſum eſt nugamentum; mihi tamen a vero quam minime abhorrere videtur. Sola enim hæc nominis derivatio & Græca eſt, & peculiariter ſitum urbis Tuſculi ſignificat. Græcam autem originem nominis urbis a Græco auctore fundatæ, magis quam Latinam aut Etruſcam eſſe debuiſſe, congruentiſſimum rationi eſt. Cetera enim quæcumque nomina proferuntur, a quibus Tuſculi vocabulum dicitur derivatum, omnia communia ſunt cum Tuſcis; a quibus tamen, veterum Scriptorum nullus, quem quidem legerim, Tuſculum vel conditum vel auctum fuiſſe, aut celebratum, unquam memoriæ prodidit. Fuit autem Tuſculum maxime δύσκολον *difficile aſcenſu*, ob montis cacumen, & rupem aſperam, ad quam ſitum fuit. Quamquam ab ea parte, qua in Viam Latinam deſcendebatur, clivum haberet molliſſimum; & ex alia, quæ Romam ſpectabat, Tuſculum collem haberet ſenſim aſſurgentem, villiſque magnificis inſtructum. Ceterum, a ſacrificiis quidem Tuſculi nomen derivatum, ajunt plerique. Siquidem Græcis ſacrificium Θύος dicitur, & Κάιω *incendo, uro*. Unde *Tuſcus* Græce Θυοσκόος *Thyoſcous*. A quo diminutum *Tuſculus*. Quam nominis originem, utpote Tuſculanis cum Tuſcis ſemper communem, objectæ modo difficultati vides expoſitam. Ego ve-

vero, si novæ adhuc interpretationi locus superesset, Thusculum sive Tusculum dictam hanc urbem crederem, ob cœli mitissimum ingenium, quo fruebatur; aeris salubritatem eximiam; soli fertilitatem uberrimam; prospectus, & villarum, quibus coronabatur, delicias; quasi omnia circa illam fragrarent ac suavissime redolerent, veluti granum thuris. quod a Plauto eleganter *Thusculum* est appellatum iis versibus: 33. *nunc thusculum emi & hasce coronas floreas; hæc imponentur in foco nostro Lari*. Memineris autem ab Latinis vocem *thus* & cum adspiratione, & sine illa *tus* promiscue scriptam & pronunciatam fuisse; quod & in ipso Thusculi urbis nomine usurpaverunt. Ceterum ipsa vox *Tusculum*, diminuta sic, eam urbem haud magni spatii, murorumve ambitus fuisse, videtur innuere; diminutiva enim nomina diminutis & parvis rebus a primis nominum inventoribus, qui congrua consueverunt nomina adaptare, scimus imposita. Unde novum, neque contemnendum argumentum, villas Tusculanas intra Tusculi veteris muros non fuisse, desumi potest. Cives hujus urbis *Tusculani Tusculanenses*, & *Tusculi* appellati. Habes autem apud Tullium *Tusculanenses dies*, apud Tibullum *Tellurem Tusculam*, apud Statium *Tusculam umbram*, apud Martialem *Colles Tusculos*. Quorum testimonia suis quæque locis opportune disposita, & recitata, hoc libro invenies. Nam singulare illud est, quod apud Aristidem Mi-

33. *Aulul. act. 2. scen. 8. v. 15.*

34. Mattei p. 130. Milesium legi perhibetur 34. de Valeria *Tusculanaria*. Nondum enim apud idoneum Latinitatis auctorem hoc vocabulum valui reperire.

CAPUT II.

De Tusculanorum rebus gestis, & antiqui Tusculi excidio.



Atini nominis urbem fuisse Tusculum, satis constat. Telegonum Conditorem in ea primitus regnasse, diximus. Quo sublato, minoribus ejus etiam, num paruerit, incertum est. Albanorum quidem deinceps regni partem evasisse, scimus, dum stetit Alba potens albæ suis omine nata. Quod inter Latinos fuerit Tusculum, Livius, Dionysius, & Plinius in antiqui Latii populis atque urbibus recensendis sæpius significarunt. Quod autem Albanis paruerit, ab iisque fuerit Colonia deducta, sic auctor originis Gentis Romanæ testatur. *Igitur, regnante Latino Silvio, Coloniæ deductæ sunt Præneste, Tibur, Gabii, Tusculum*, cetera. Jus vero deducendæ Coloniæ non nisi victrici urbi in victum & sibi jam subditum oppidum fuit. Quare, paruisse Tusculum Albanis regibus, novimus; ibique Respublica per Albanos Magistratus, puta Dictatores, aut Consules, Prætoresve administrata est. Quo tempore Tusculani convenere cum Latinis

Tabula I.

Tusculi veteris Situs et Constitutio



nis ceteris ad Latinas Ferias in Monte Albano, Latinorumque Concilia, ad Caput Ferentinæ, ſub radices Albani montis, de univerſa Latinorum Republica ſimul deliberaturi, & conſultaturi; Magiſtratus etiam novos ad pronunciandos, & creandos de more. Eumdem quoque in menſibus numerandis ordinem, quem Albani, Tuſculani pariter ſervavere; quod Ovidius tradidit iis verſibus non ſemel jam recitatis, & tamen hic maxime opportunis; 1. 1. Faſt. l. 3.

Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat,
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.

Poſtquam autem Albanorum regnum, una cum urbe principe Alba, cecidit; Tuſculani cum Latinis reliquis in Romanorum ſocietatem potius quam poteſtatem, nec tamen ultro, venere. Unde ab Tullo Hoſtilio Romano rege bello appetiti Latini, vi tandem coacti manus dedere; Romaniſque licet ſubditi, *Sociorum* tamen honeſto nomine appellati ſunt. Tuſculani, proinde, ſuæ Gentis ſortem ſecuti, in Populi Romani fide manſerunt; ita tamen ut *Municipium* Tuſculum diceretur; ſuiſque legibus viveret; ſuos Magiſtratus, Dictatores, & Conſules crearet. ac Romanorum imperium in nullo alio ferme ſentiret, quam in auxiliaribus copiis eorumdem exercitum inſtruendo, ad continuos Æquorum, Hernicorum, atque Volſcorum, retundendos motus. Novi equidem, *Conſulis* titulum ab Antiquariis nonnullis etiam magni nominis,

F Ro-

Romanæ Urbis proprium unice exiſtimatum. Contrarium tamen certum eſt. Cum & apud Plinium libro ſeptimo Lucium Fulvium *Conſulem Tuſculanorum*, & ex *Conſule Tuſculanorum* factum Romanorum Conſulem legamus; & Livius pariter *Conſulem Tuſculanorum* nominaverit; & Campani ſive Capuani ſuos Duumviros *Conſules* appellaverint, ut etiam Aufidenates; quemadmodum eſt apud Fabrettum, Inſcriptionum pag. 722. num. 439. in lapide Æmiliæ C. F. Calliſtæ. Et Piſani quoque, ut refert idem Fabrettus pag. 724. num 440. in lapide Felicis Herculeonis, qui Piſanorum Conſul inſcribitur. Ac tandem ex lapideNoriſiano in Cœnotaph. Piſano pag. 41., quod ipſe Fabrettus innuit. Porro ad annum uſque ducenteſimum quinquageſimum tertium, nulla Tuſculanorum apud Livium atque Dionyſium peculiaris eſt mentio. Eo autem anno, Poſthumio Cominio, T. Largio Coſſ. Tuſculani, Duce Octavio Mamilio eorum principe, adverſus Romanos una cum aliis Latini Nominis Populis, ad triginta, conjuraverunt. Præcipua conjurationis cauſſa, inviſa vicina nimium Romanorum potentia, in dies magis incrementis augeſcens. Huic altera Mamilii privata acceſſerat; Tarquinii Superbi ſoceri ſui regno expulſi dedecus vindicandum. Itaque, coactis apud Ferentinum Latinorum Concilii Præſidibus, belli ſuaſores in pacis ſtudioſos multis verbis invecti. præcipue Tarquinius, & gener ejus Mamilius, atque Aricinorum proceres, effecerunt,

runt, ut omnes Latini Nominis Populi commune bellum contra Populum Romanum suſciperent. & ne quis Populus ſocietatem proderet, neve ſine communi conſenſu pacem privatim faceret, jurejurando inter ſeſe devincti ſunt; additis diris execrationibus in eos, qui a fœdere diſcederent; decretoque ut pro hoſtibus a ceteris haberentur [2]. In hoc fœdus dederunt nomina Ardeatæ, Aricini, Bovillani, Bubetani, Corani, Cornetani, Gabini, Laurentini, Lanuvini, Lavinienſes, Labicani, Nomentani, Norbani, Præneſtini, Pedani, Querquetulani, Satricani, Scaptienſes, Setini, Tellini, Tiburtini, *Tuſculani*, Trebiani, Veliterni. Ex his omnibus Populis, delectu juniorum habito, tantum copiarum contractum, quantum Octavio Mamilio, & Sex. Tarquinio Superbi filio viſum eſt; penes quos ſummum erat imperium. Legati interea ultro citroque fruſtra miſſi. Bello mox ſatis apparato, cum Romani primo Dictatorem creaſſent; is fuit T. Largius ipſe, & Sp. Caſſius Magiſter equitum,& Spurius Largius Dictatoris frater trifariam exercitum in Latinos eduxerunt. At Latinorum Imperatores Sextus & Mamilius intra Tuſculum continendo copias, parabant ſe, quaſi Romam verſus moturi; diu tamen tempus terebant; ſive quod expectarent eos Populos, qui nondum aderant; ſive quod non litarent in ſacrificiis. Interim pars quædam a reliquo exercitu divulſa Romanum agrum populabatur. Largius, re cognita, immittit in

2. Dionyſ. l. 5. Liv. l. 2.

in eos Clœlium; qui nec opinis superveniens, paucos aliquot repugnantes interficit; vivos capit reliquos. Hos Dictator curatos ex vulneribus, & ceteris humanitatis officiis devinctos, universos Tusculum remisit sine precio. His Legatos Romanorum nobilissimos adjunxit, per quos impetratum est, ut, dimisso Latinorum exercitu, induciæ in annum fierent.

Aul. Posthumio, T. Virginio Coss. Latinorum proceribus per munera Mamilii & Tarquinii corruptis, reliquis frustra reclamantibus, bellum renovatum est. creatusque Romæ Dictator ex Consulibus alter Posthumius, qui Magistrum Equitum T. Æbutium Helvam nominavit. Cognito autem, quod Latinis etiam Antiates Volsci se conjunxissent; Posthumius celeriter occurrit hostibus, priusquam in unum convenirent omnes eorum copiæ: properatoque per noctem itinere, cum exercitu venit prope castra Latinorum, ad Lacum Regillum in agro Tusculano. Hunc quidam perhibent modo *Sanctæ Praxedis* nominari; melius tamen plures *il Lago della Colonna.* ipse castra metatus est in tumulo alto & arduo imminente hostibus, loco multo quam illi opportuniore. At Latinorum Duces Octavius Tusculanus & Sex. Tarquinius, qui tum forte seorsum castra habebant, in unum locum ea contulerunt; deliberationibus multis & variis intenti. Quibus T. Virginius Consul supervenit, repente, viam noctu emensus una cum exercitu; seor-

seorsimque a Dictatore, in alterius montis dorso aspero, & natura munito castra posuit. ut utrinque Latinis clauderetur in posticum exitus; a dextris Dictatore assidente, a sinistris Consule. Ceterum leves sæpius pugnæ, seu potius velitationes habitæ, ancipiti exitu. Stabant autem in utraque acie, in Romana quidem viginti tria millia peditum, mille equites: in Latina, peditum quadraginta, equitum tria millia. In hac Sex. Tarquinius præerat sinistro cornui; dextero Octavius Mamilius. mediam aciem tuebatur alter Superbi filius Titus Tarquinius. In Romano autem exercitu dextrum cornu T. Æbutius magister equitum contra Sextum Tarquinium regebat. sinistrum T. Virginius Consul ex adverso Octavii Mamilii. mediam aciem explebat Dictator Posthumius. Prius tamen quam manus consererent, ducum quisque suos plurimis verbis ad rem strenue gerendam hortati sunt. Mox ut concursum utrinque est; mediæ acies pugnam æquarunt. T. Æbutius & Octavius Mamilius inter se oppositi egregie pugnando ex provocatione invicem singulariter concurrentes, graviter, non tamen lethaliter, alter alterum vulnerarunt. Magister equitum Mamilium, in pectus hasta per thoracem adacta. Mamilius contra, illius transfixo brachio dextero; amboque ex equis deturbati sunt. Mamilius tamen brevi ex vulnere utcumque restitutus, validam manum suorum in M. Valerium, e ducibus clarissimum, adducens,

il-

illum interfecit. Ancipiti deinde marte diu pugnatum; donec Legatus Herminius suos, ex fuga receptos & confirmatos, vertit in Mamilium. congressusque cum Tusculano, statura & robore omnium ætatis suæ præstantissimo, & illum interfecit; & ipse, dum cadaver tanti ducis spoliat, gladio in latus ab strenuo Tusculanorum uno ictus periit. Sextus Tarquinius denique ab universo pene exercitu hostium circumventus, & circumclusus, multa prius strage edita, non inultus interiit. Occisis ducibus, reliqua Latinorum turba omnis in fugam versa est; castra a Romanis capta. præda luculenta militi concessa. Maximaque ea clades Latinorum fuit, qualis antea nunquam. cujus diuturnus maxime sensus fuit reliquus. Siquidem e quadraginta millibus peditum, tribus equitum, superstites vix decies mille domum rediere incolumes. Jactatum, in eo prælio Castoras Romanis auxilio apparuisse. Ob id, illis templum in Romano foro dedicatum; quod ædem nunc Sanctorum Cosmæ & Damiani in Foro recenti Boario esse, multi meminerunt. Victoria & triumphus a Romanis quanta maxima pompa celebrata sunt. Hoc modo ad Regillum Lacum ab Latinis, & vero maxime Tusculanis, in suo agro, & suo sub duce, fortiter, quamvis infeliciter, pugnatum est.

Porro V.C. CCLXXXIX. L. Æbutio, P. Servilio Prisco Coss. cum fœda lues Romæ usque adeo grassaretur, ut, optimatium præcipue, potissima pars

pars absumpta fuerit; quos inter, e Consulibus alter L. Æbutius; Volsci, atque Æqui opportunum id rati tempus, quo Romanos semimortuos opprimerent; ad Urbem, infesto exercitu, perrexere. Quod, ubi Patribus nuntiatum est; tantus illos timor invasit, ut plerique, lue quamvis pessime affecti, lecticis tamen in Curiam, prætrepida concursatione, delati sint. Atque ipse Servilius Consul, licet exigua spe trahens animam, Senatu tamen coacto, quædam ad illud propulsandum hostium incommodum, opportuna factu proposuit. Quæ dum curantur; Æqui Volscique infesto jam agmine per agrum Romanum procedentes, squallentiaque, & morbo omnia dire vastata cernentes; mutato repente consilio ad integras florentesque Tusculanorum opes diripiendas conversi sunt. Caussæ satis justæ id sibi esse rati, quod Tusculani socii Romanorum essent; in eorumque amicitia fideliter viverent. Quare, signa repente convellunt; & Tusculanum agrum opimum copiis petunt; itineribus per Labicanos agros in Tusculanos colles mutatis: fœdeque rapinis vastant, repugnante nemine. Interim enim Tusculani cum Latinis ceteris atque Hernicis, pudore etiam, non misericordia solum, moti, si nec obstitissent communibus hostibus, infesto agmine Romanam Urbem petentibus; nec opem ullam obsessis sociis ferrent; conjuncto exercitu, Romam pergebant. Ubi cum hostes non invenissent; secuti famam & vestigia,

gia, obvii fiunt defcendentibus a Tufculano in Albanam vallem. Ibi, quamquam Tufculani non jam fociorum Romanorum injurias, fed fuafmetipfas ulturi effent; ac pro aris jam & focis pugnare viderentur; non tamen hoftes magna clade affecerunt. fed pari ferme exitu hinc atque inde, prælium diremtum eft. Volfci tamen Æquique tum quidem novis direptionibus per Tufculanos agros abftinuerunt; nec male valentes Romanos ultra invadere aufi funt. 3. Itaque Tufculani, partim fuorum agrorum ubertate, partim militum fuorum virtute, hoftiles ea vice impetus ab Romanis agris & mœnibus averterunt. Profecto ex hac narratione, Livii Dionyfiique de penu producta, fitus antiquæ urbis Tufculi, quod fcilicet in fummo jugo fuerit montis, quem nunc dicimus *Il Tufcolo*, haud obfcure colligitur. Siquidem Æqui Volfcique, per Labicanos agros, in Tufculanos venere colles. Labicani autem agri funt circa oppidum nunc *La Colonna*. quod etiam pluribns, ex antiqui Labici ruinis conditum, exiftimatur. Porro, nonne hæc eft Via eadem, quæ Albanum inter & Tufculanum collem nunc quoque fternitur? Rurfum, a Tufculano Æqui Volfcique in Albanam vallem defcendiffe hic memorantur. Atque idem plane hodie eft defcenfus, ex loco *Il Tufcolo* in Albanam vallem, circa locum, vulgo *l'Oftaria della Molara*, ipfumque oppidum dirutum *la Molara*. Per autumnum vero infequentis anni, L. Lucretio Tricipi-

3. Liv. l. 3. Dionyf. l. 9.

cipitino, T. Veturio seu Vetusio Gemino Consulibus. Lucretium, dum in Hernicis sedet, Volscorum prædonum agmen fefellit, supra montes Prænestinos ductum. inde dimissum in campos, vastavere agros Prænestinum, Gabinumque. ex Gabino in Tusculanos flexere colles. Atque has quidem hostiles incursiones & populationes Tusculani annuas fere toleraverunt; dum Romanorum in fide firmi persistunt. Quod & fidei ipsorum argumentum ingens, & agrorum quoque eorum ubertatis, quæ hostiles manus toties alliceret, singulare fuit testimonium.

Anno autem V. C. CCLXXXXII. C. Claudio Ap. F. Sabino, P. Valerio Poplicola Coss. dum Roma tribunitiis turbulentissimis motibus agitaretur; id accidit, in quo Tusculani bellicam suam virtutem maxime illustraverunt. 4. Appius Herdonius Sabinus, vir domi nobilis & opulentus, rem Romanam occupare est aggressus. Communicato igitur cum amicis consilio, breviter ex clientelis atque servitiis, hominum quatuor millia confecit: quos armis instructos, per Tiberim scaphis impositos, Romam devexit. Eas copias nocte intempesta, ad ripam appulit Capitolio proximam, nec toto distantem stadio; ubi, expositis, & per Portam Cementinam, sive Carmentalem, oraculo patentem, introductis, Capitolium arcemque contiguam occupavit. Eo animo, ut exules reciperet; servos vocaret ad pilea; obæratis remissionem pol-

4. *Liv. l. 3. Dionys. l. 10.*

liceretur; inopes Cives, & ob id potentioribus iniquos, oblata novandarum rerum occasione, commodorum participes faceret. Ingentem ad hæc audenda spem animumque turbulentus Civitatis status præstabat. Ceterum spe falsus est; nemine ex iis, quos allexerat, adeunte. Occupata enim arce, diffugientibusque iis, qui primo impetu non sunt confossi; universa Urbs ad arma derepente fuit concitata. Deque erectioribus areis, de tectis etiam atque moenianis, multa in Capitolium tumultuarie missilia & tela jactata. Eadem nocte & Tusculum de arce capta, Capitolioque occupato, & alio turbatæ Urbis statu nuntii venerunt. L. Mamilius, vir impiger, tum Tusculi Dictator erat. is confestim, convocato Senatu, atque introductis nuntiis, magnopere censet, ne expectent, dum ab Roma Legati auxilium petentes veniant: periculum discrimenque ac sociales deos, fidemque fœderum id poscere. demerendi beneficio tam potentem, tam propinquam Civitatem, numquam parem occasionem deos ipsos daturos. Placuit itaque Tusculano Senatui ferri auxilium. Nec mora; delectus confestim edicitur; frequens Tusculana juventus conscribitur; arma dantur. Romam prima luce venientes, procul speciem hostium præbuere. Æqui aut Volsci venire visi sunt. Deinde, ubi vanus terror abiit; accepti in Urbem, agmine in Forum descendunt. Eademque ferme hora, lux, & qui essent in occupato Capitolio hostes, & quinam

nam in Foro auxiliares adventassent socii, detexit. P. Valerius Consul, relicto ad Portarum praesidia collega, suam aciem instruxit; solis Tusculanis in ejus discriminis & gloriæ partem acceptis; eorumque tantum, de sociis, egregia usus est opera, in Capitolio recuperando. Oppugnabatur autem arx undique. nam alii e propinquis ædibus vasa bitumine piceque referta atque incensa in eam jaculabantur; alii, congestis sub rupem sarmentorum fasciculis, mox accendebant ipsam congeriem, flammas secundo vento adjuvante. Fortissimorum militum globus per adversum clivum, & viam manu factam, in arcem tendebant. Hi, quamvis præstarent numero; in angustiis, explicare sese non poterant; telis non irritis in confertos cadentibus. Itaque nec numerus proderat; nec durata bellis virtus per ardua nitentibus; nec cominus, sed missilibus, pugnantibus, invalidis & inferiore loco ictibus. Contra, e sublimi jacta ictum adjuvabant ipso pondere. Non defatigabantur tamen oppugnatores; sed perdurabant in continuatis die nocteque laboribus. Strenue, itaque, Romana ac Tusculana Legio se gerere. Certare Tusculani socii Romanique milites, utri recuperatæ arcis suum decus facerent. dux uterque suos adhortari continenter. trepidare demum hostes; nec ulli satis rei, præterquam loco, fidere. Trepidantibus inferunt signa Romani, sociique Tusculani, novo impetu. Jamque in vestibulum perru-

perant templi; cum P. Valerius Consul, inter primores pugnam ciens, interficitur. L. tamen Mamilius Tusculanus Dictator adeo suos Romanosque simul animavit; ut prius miles uterque vinceret, quam se Romanus sine proprio duce pugnare sentiret. Multi exulum cæde sua fœdavere templum; multi vivi capti. Arce ita expugnata, Herdonius vir robustus & manu promtus, edita prius magna circa se strage, obrutus telis periit. Eorum, qui ipsum stipabant, militum major pars se ipsi jugulaverunt; aut per rupes præcipitaverunt. Ita Capitolium tertia die, qua occupatum fuerat, de invadentium prædonum manibus, Tusculana virtute comite, ab Romanis recuperatum. De captivis, ut quisque liber aut servus esset, suæ fortunæ a quoque sumtum supplicium est. Tusculanis vero ingentes publice gratiæ actæ. Qui cum suo Dictatore Mamilio, haud paucis licet desideratis, qui fortiter in certamine pugnantes obierant, æterna Urbis Principis servatæ gloria & fama onusti Tusculum redierunt. Tanta certe in ea expeditione Tusculanorum virtus emicuit, ut L. Quintius Cincinnatus posterioris deinde anni Consul, Romæ pro concione asseverare non dubitaverit; Tusculi ante, quam Romæ, pro liberando Capitolio arma sumpta fuisse. in dubioque remanisse, utrum L. Mamilius Tusculanus dux, an P. Valerius & Claudius Consules Romanam arcem liberassent. idemque Cincinnatus publice fassus fuerit, nisi Tusculani

sua

ſua ſponte, in tempore, arma ſumſiſſent; Romanos capiendos atque penitus delendos fuiſſe. Et tamen Tuſculani iidem, multis poſt ſæculis a Romanis tam crudeliter habiti ſunt; ut dirutis & incenſis Tuſculi urbis mœnibus atque ædificiis ceteris omnibus, ex eorumdem fragmentis idem Capitolium, olim Tuſculana virtute de ſervorum manibus recuperatum, exornare Romani iidem non dubitaverint. Quod infra opportune narrabitur.

Vix autem hæc in Capitolio recuperando ſtrenue geſſerant Tuſculani; 5. cum, vertente anno, qui fuit V. C. ducenteſimus nonageſimus tertius, Q. Fabio Vibulano tertium, L. Cornelio Maluginenſi Coſſ. ſuam ipſi arcem, licet editiſſimam & munitiſſimam amiſerunt. Romanorum tamen, tam recenti inſignique beneficio ſibi obligatorum, virtute, brevi recuperavere. Siquidem, dum ad Antium alter Conſulum cum exercitu moraretur; Æqui, robore juventutis præmiſſo, Tuſculanam arcem, nocturnis faventibus tenebris, capiunt ex improviſo. reliquo exercitu, haud procul Tuſculi mœnibus conſidentes, quo magis hoſtium copias diſtinerent. Fœdæ rei nuntios Tuſculani ſtatim Romam dimittunt; qui celerrime ab Roma in Caſtra ad Antium perlati, haud ſecus Romanum exercitum commoverunt, quam ſi rurſum Capitolium ipſum ab Æquis occupatum, nuntiatum foret. Adeo & recens Tuſculanorum meritum erat; & ſimilitudo ipſa periculi datum auxilium repoſce-

5. *Liv. l. 3. Dionyſ. l. 10.*

re

re videbatur. Fabius, itaque, omiſſis omnibus, præda, quam exercitus receperat, intra muros Antii convecta; modicoque ibidem, adverſus Volſcorum motus, relicto præſidio; citatum agmen continuo Tuſculum rapit. Cumque maximis itineribus pergendum foret extemplo; nihil præter arma, & quod cocti ad manum fuit cibi, ferre militi licuit. Commeatum ab Roma deinde Conſul Cornelius ſubvexit. Cum tamen ea eſſet Tuſculanæ arcis natura, ut invia fere ab omni parte & ſublimis atque ardua, eos qui ſe occupaſſent, quam tutiſſimos redderet; ac, niſi per inſidias occuparetur, vi fere inexpugnabilis eſſet; (ut Tuſculi jugum ac prærupta rupes in eo, nunc quoque oſtendunt) hinc factum; ut aliquot menſium ſpatium in ea ab hoſtibus liberanda Romani coacti fuerint inſumere. Quo tempore acriter Tuſculi bellatum eſt: parte enim exercitus Conſul Æquorum caſtra oppugnabat; partem Tuſculanis ad recuperandam arcem tradiderat. Vi tamen numquam ea ſubiri potuit. Fames denique obſeſſum inde hoſtem detraxit. Quo, poſtquam ventum eſt ad extremum; inermes, nudique omnes ſub jugum ab Tuſculanis miſſi ſunt. Hos ignominioſa fuga domum ſe recipientes Romanus Conſul, in Algido conſecutus, ad unum omnes occidit. Victor ad Columen (id loco nomen eſt, ait Livius) exercitu relicto caſtra locavit. Ita redditum ab Romanis beneficium Tuſculanis fuit, viceſque permutatæ; & Arx Tuſcula-

lana, munitiſſima ſitu loci, in Civium ſuorum poteſtatem redacta. Quæ interim noſtra hæc Commentaria lecturi perpendant porro; & ſitum veteris Tuſculi in jugo montis conſtitutum fuiſſe, novo clariſſimo documento plane perſpicient. Neque enim, ſi, eo loco, quem nunc quoque *Tuſculum* nominamus, arx fuit Tuſculana, quod & Mattejus ipſe non diffitetur; urbs deinde Tuſculum quatuor millibus paſſuum infra, ſub montis radices, ubi nunc *Fraſcati*, quod ait Holſtenius, eſſe potuit. Ex hactenus enarratis id certe jam conſtat. Quomodo enim tanto intervallo de propriis mœnibus Tuſculani Æquos Tuſculanam arcem occupantes obſidione cingere, eoſque ad deditionem præ fame adigere potuiſſent? Fuit igitur arx munitiſſima Tuſculana in ſummo Tuſculani montis cacumine, eo loco, quo nunc quoque horrendum exciſum ſaxum apparet. Circaque illam Tuſculum urbs fuit, ſitu plane illo, quem nunc quoque *il Tuſcolo* nominamus. Illud etiam obiter hic notandum; locum, qui Livio *Ad Columen* dicitur, facile in eum, quem modo dicimus *La Colonna*, congruere potuiſſe. Ad quam conjecturam firmandam nominis ſimilitudo non minimum ſane pondus habuerit.

Ceterum, anno inſequenti, nempe V. C. CCLXXXXIV. Conſulibus L. Minucio, C. Nautio ſecundum 6. Æqui verbis ſocietatem recentem ſimulantes, factis vero ſe gerentes hoſtiliter; Latinos, & in his maxime Tuſculanos, Populum Latinorum fa-

6. *Liv. Dionyſ. ibid.*

facile principem, quasi nullo conjuncti fœdere sibi essent, bello lacessivere. Ejus expeditionis dux fuit Gracchus Cloelius vir industrius, qui delatum ad se gentis imperium, proxime regiam potestatem evexerat. Progressus enim cum exercitu usque Tusculum, ex quo capto atque direpto, superiore anno Romani, ut narratum est, Æquos expulerant; multum mancipiorum abegit & pecorum; segetesque jam tum maturas corrupit. Ad eum cum Legati a Senatu Romano venissent; caussam quæsituri, cur Æqui infestarent socios, post recens fœdus, nulla præterea injuria provocati. instarentque Legati pariter, ut ab Graccho audirentur, repetituri captivos, & ceteras res Tusculanis ademtas; jussurique ut exercitum abduceret; ille simulans, se gravissimis negotiis aliter occupatum, & impeditum; illos admittere atque audire nolens diu distulit. Tandem ubi eos admittere visum est; mandatis Senatus ab Legatis expositis; Demiror, inquit, vos, Romani, cum ipsi omnes pro hostibus habeatis, etiam a quibus læsi nusquam estis, sed tantum imperandi libidine; non permittere deinde Æquis, ut ab inimicis suis Tusculanis veterum injuriarum exigant pœnas. cum tamen in Romano cum Æquis fœdere, cautum Tusculanis non sit. Ergo, si res Tusculanorum reposcitis; non a me, sed ad hac fago repetite. Atque hæc irridens, proxima quæ forte stabat, fagum arborem digito ostendit. Profecto hac moti contumelia Ro-
ma-

mani, quamquam ad ultionem properarent, non tamen exercitum ſtatim eduxerunt. Verum per feciales, & novos Legatos, Deorum adjuratione & obteſtatione peractis, agere prius voluere. Poſt hæc, arma ſumta. Sed Gracchus Cloelius Æquorum dux Romanum exercitum intra convallem, ſimulata prius fuga, ita concluſit, ut exitibus ab hoſte undique occupatis, ad deditionem jam jam cogeretur, inopia ſaltem annonæ, Adfuit tamen in tempore creatus Romæ Dictator L. Quintius Cincinnatus, celeberrimus ille Dictator ab aratro; quem gente Quintia Tuſculana creatum memorant. Hic, Tuſculanorum quoque auxilio, pro ſuis ipſorum rebus recuperandis ſtrenue prælianium ſub duce L. Mamilio, eorum principe, non modo ſtatim ſuorum exercitum ex inſidiis anguſtiiſque liberavit; verum hoſtilem quoque graviſſima clade affecit; reſque Tuſculanorum ipſis ſociis recuperavit. Cum enim acriter dimicatum eſſet utrinque; ad ſummam, Æqui verſa jam vice, commeatibus ſimul & auxiliis excluſi, nec continuatos aſſultus hoſtium ferentes, pacem a Quintio ſupplices, per Legatos, petunt. Ille, daturum ſe his conditionibus, reponit. Ceteros Æquos, armis ademtis, ſub jugum ſe tranſmiſſurum; Gracchum vero belli ducem, cum aliis defectionis auctoribus, ut hoſtem, pro meritis, tractaturum: juſſitque ut eos vinctos ſibi dederent. Quibus annuentibus, illud inſuper, mulctæ nomine, impoſuit; ut, quo-

niam ipsi non lacessiti Tusculum urbem sociam atque amicissimam Populi Romani tam fœde diripuerant; vicissim Corbionem sibi diripiendum præberent. (Fuisse Corbionem, quidam autumant, non longe a loco, ubi nunc Castrum vulgo *Monte Fortino*, alii *Rocca Priora*) Cum his responsis Legati dimissi, paullo post reversi sunt, Gracchum vinctum adducentes, cum ceteris defectionis auctoribus. ipsi cum copiis Æquorum inermes castris suis egressi, & per Romana traducti; postremo sub jugum missi sunt. Fiebat autem jugum tribus hastis; ex quibus duæ in terram figebantur, transversum supra illas tertia alligata. Corbionem quoque, juxta fœdera, tradiderunt. hoc uno impetrato, ut ingenuis, antequam oppidum diriperetur, liceret excedere. Pro quibus acceptis, Tusculani captivi, sine alio pretio Tusculum dimissi sunt. Prædam Quintius in suos, & T. Quintii Quæstoris milites, divisit; Minucii Consulis exercitu in partem nusquam vocato; quod contentus esse deberet, dicens, ipsum hostibus prædam non fuisse. His rebus gestis, & Magistratum deponere coacto Minucio, quod, hostium insidiis circumveniri se, sivisset; Dictatura, quam in sex menses acceperat, intra decimumsextum diem a fascibus sumtis, se abdicavit. nihil ab Senatu aut prædæ aut agrorum, oblatum abunde, accipiens; seseque, vir quammaxime frugi, exemplumque continentiæ atque modestiæ singulare, ad prædiolum suum arandum at-

atque excolendum, trans Tiberim, loco ubi deinde fuere navalia, tunc *Prata Quintia* appellato, lætissimus, ac triunphante magis exultans, recepit. Prius tamen eodem die, quo pugnatum fuerat, L. Mamilio Tusculanorum Principi, ob singularia beneficia Populo Romano præstita, approbantibus cunctis, Romana Civitas data est.

Non fuit nihilominus ea pax diuturna 7. anno enim V. C. CCLXXXXVI. T. Romulio, C. Veturio Coss. perfidi Æqui Tusculanum agrum populatiobus invaserunt. Id Romam continuo cum esset nuntiatum; fecit pudorem recens ejus Populi meritum morandi auxilii. Itaque ambo Consules cum exercitu missi, hostem in sua sede in Algido inveniunt. Ibi pugnatum. supra septem millia hostium cæsa: alii fugati: præda parta ingens. Eam, propter inopiam Ærarii, Consules vendiderunt. Invidiæ tamen res ad exercitum fuit. Ea denique Tribunis materiam criminandi ad plebem Consules præbuit. Quibus die dicta; Romulius X. millibus æris, Veturius XV. damnati sunt.

7. *Liv. lib. 3. Dionys. l. 10.*

8. Anno autem V. C. CCCII. quo secundum Decemviri Consulari potestate Romæ creati sunt, Romani cum ipsis Decemviris ab Æquis in Algido, ingenti clade affecti, & Castris exuti, vulnerati majorem partem, omnibus quoque utensilibus spoliati milites, Tusculum se, fide, misericordiaque victuri hospitum, contulerunt. Nec Tusculani amicos sociosque fefellere. Romam tanti erant

8. *Liv. l. 3.*

terrores allati, ut posito jam Decemvirali odio, quo plebs maxime flagraverat; Patres vigilias in Urbe habendas censerent; omnes, qui per ætatem arma ferre possent, custodire mœnia, ac pro portis stationes agere juberent: arma Tusculum ad supplementum decernerent; Decemvirosque ab arce Tusculi digressos, in Castris militem habere. Profecto Decemviri idcirco exercitum contra
9. Diony. l. 11. Æquos 9. prius eduxerant, quod hi Tusculanum agrum invadentes sibi finitimum, multum ejus populantes, in Algido, de more, castra metabantur; Tusculanique Legatos Romam pro vetere amicitia auxilium postulatum miserant. Anno CCCX. L. Papirio Mugillano, L. Sempronio Atratino Coss. cum Volsci re male gesta apud Ardeam, cum singulis tantum vestimentis, ex jugo, sub quod missi fuerant a Romanis, ignominiæ cladisque pleni, haud pro-
10. Liv. l. 4. cul urbe Tusculo consedissent; 10. vetere Tusculanorum odio inermes oppressi, dederunt pœnas; vix nuntiis cædis relictis. Sed jam Tusculanus ager continui ferme ac in annos singulos instaurati belli ab Æquis & Volscis contra Romanos, aut viceversa, theatrum opportunissimum videbatur. Cum enim Æquis Volscisque, non raro etiam Hernicis, mos esset in Algidensibus Campis spatiosissimis castra metari; Romani adversus illos in Tusculano consistere consueverant. Itaque, V. C. trecentesi-
11. Liv. l. 4. mo vigesimotertio, 11. acriore ab Æquis & Volscis bello instaurato; cum hi bifariam in Algido ca-

caſtra, parvo inter ſe ſpatio diſtantia, metati eſſent; T. Quintius L. F. Cincinnatus Pœnus, & C. Julius Mento, ejus anni Conſules, ipſi quoque duplicem exercitum in Tuſculanos agros educendum curarunt. Cum tamen domeſticis Tribunorum plebis turbis ea expeditio præpediretur; Dictatorem placuit Romæ creari. Is A. Poſthumius Tubertus fuit a Quintio Conſ. creatus, cum is ipſius Conſulis ſocer eſſet. Ab eo L. Julius Equitum Magiſter eſt dictus. Ita Dictator & Quintius Conſul ipſi quoque mille ferme paſſus ab hoſte, Dictator Tuſculo, Conſul Lanuvio propiorem locum caſtris ceperunt. Belli exitus ſummo apparatu ſuſcepti, Romanorum victoria fuit, cæſis Æquis Volſciſque; quamvis nunquam ſatis domitis. Quare, 12. trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, ad Tribunos militum Conſulari poteſtate creatos L. Sergium Fidenatem, M. Papirium Mugillanum, C. Servilium Q. F. Priſcum Legati ab Tuſculo venerunt nuntiantes, Lavicanos arma cepiſſe, & cum Æquorum exercitu depopulatos agrum Tuſculanum, caſtra in Algido poſuiſſe. Ceterum Tuſculanis negotium datum fuerat, adverterent animos, ne quid novi tumultus Lavicis oriretur. Bellum itaque indictum eſt Lavicanis. Æqui tamen ingenti Romanos clade affecere. multique in ruina majore quam fuga oppreſſi, obtruncatique: caſtraque eo die ægre retenta. Poſtero, circumfuſis jam, magna ex parte hoſtibus, per averſam portam

12. *Id. Ibid.*

tam fuga turpi deſeruntur. Duces Legatique, & quod circa ſigna roboris de exercitu fuit, Tuſculum petiere. Speculatores inde Romam miſſi propere, nuntiavere, Tuſculi Duces exercitumque eſſe; hoſtem caſtra loco non moviſſe. Ibi Dictatore creato P. Servilio Priſco, novoque delectu habito; accitis, qui Tuſculi erant; duo millia paſſuum ab hoſte locum caſtris Romanus exercitus cepit. Belli finis Æquorum ſtrages fuit; oppidumque Lavici corona circumdatum, ſcalis captum atque direptum. Verum V. C. CCCLXI. in Æquis varie bellatum: 13. adeo ut in incerto fuerit & apud ipſos exercitus, & Romæ, viciſſent, victi ne eſſent. Certe Romani pars exercitus, nequicquam reclamante Duce ac retinente, Tuſculum palati fugerunt. Tuſculani nuntios ſtatim Romam, qui, vanos ceteroquin, de occiſo exercitu rumores tulerunt. Ab Poſthumio tamen uno ex Tribunis militum Conſulari poteſtate creatis cæde non falſa hoſtium mox habita, laureatæ literæ de victoria paullo poſt ſubſecutæ, 14. triſtis ab Tuſculo nuntii pavorem omnem ſuſtulerunt. An. CCCLXIII. Prænestini, cum a Romanis defeciſſent, Tuſculanos agros & vicinorum incurſionibus populati ſunt; arguentibuſque eos Tuſculanis, & Gabinis, & Labicanis, apud Senatum, ita placide ab eo reſponſum eſt, ut minus credi de criminibus, quia nollent ea vera eſſe, appareret.

13. Liv. l. 5.

14. Lib. 6.

15. Liv. lib. 6.

Jam vero inſequenti anno 15. cum inter Volſco-

ſcorum captivos, quos M. Camillus una cum Præneſtinis auxiliaribus devicerat, quidam etiam de Tuſculanis reperti fuiſſent; ab aliis hi ſegregati ſunt. percunctantibuſque Tribunis militum, faſſi, ſe publico Tuſculani Senatus conſilio militaſſe. Quod verum ne, an ad invidiam in ſuos concitandam, & ab ſeſe avertendam, fictum fuerit, incertum eſt. Certe nullus in urbe Tuſculana belli apparatus extiterat. Camillus tamen metu tam vicini belli commotus vehementer, eos captivos Romam ſe ducturum, ait, ne Patres ignari ſint, Tuſculanos ab ſocietate deſciviſſe. Introductis in Senatum captivis, cum Patres cenſuiſſent, bello perſequendos Tuſculanos eſſe; Camillo id bellum mandatum eſt. Hic L. Furium alium ex Tribunis militum, quamvis ſibi infenſum atque æmulum, Collegam adjunxit. Non fuit tamen cum Tuſculanis bellum. pace conſtanti vim Romanam arcuerunt, quam armis non poterant. Siquidem intrantibus Tuſculanos fines Romanis infeſto exercitu, non demigratum ex propinquis itineri locis ab ullo ex Tuſculanis agreſtibus, ne improviſo quidem pavore; non cultus agrorum intermiſſus. Quin ad ipſam uſque urbem Tuſculum Romanum agmen cum proceſſiſſet; patentibus portis urbis togati Tuſculani primores obviam frequentes imperatoribus proceſſere. Commeatus exercitui comiter in Caſtra Romana ex urbe & ex agris, Tuſculani juſſu Senatus, devehitur. Camillus, caſtris an-

ante portas positis (Livii verba) eadem ne forma pacis, quæ in agris ostentaretur, etiam intra moenia esset, scire cupiens; ingressus Tusculum, ubi patentes januas, & tabernis apertis proposita omnia in medio vidit; intentosque opifices suo quemque operi, & ludos literarum strepere discentium vocibus: ac repletas semitas, inter vulgus aliud, puerorum & mulierum huc atque illuc euntium, qua quemque suorum usuum caussæ ferrent: nihil usquam non pavidis modo, sed ne mirantibus quidem simile circumspiciebat; omnia inquirens oculis, ubinam bellum fuisset. adeo nec amotæ rei usquam, nec ablatæ ad tempus vestigium ullum erat: sed ita omnia constanti tranquilla pace, ut eo vix fama belli perlata videri posset. Victus igitur patientia hostium, Senatum eorum vocari jussit. Soli adhuc, inquit, Tusculani, vera arma verasque vires, quibus ab ira Romanorum vestra tutaremini, invenistis. Ite Romam ad Senatum. æstimabunt Patres, utrum plus ante poenæ, an nunc veniæ meriti sitis. Non præcipiam gratiam publici beneficii. Deprecandi potestatem a me habueritis; precibus eventum vestris Senatus, quem videbitur, dabit. Postquam Romam Tusculani venerunt; Senatusque paullo ante fidelium sociorum moestus in vestibulo Curiæ est conspectus: moti extemplo Patres, vocari eos jam tum hospitaliter magis, quam hostiliter jussere. Dictator Tusculanus ita verba fecit: *Quibus bellum indixistis intulistisque P.C. sicut nunc*

vi-

videtis nos stantes in vestibulo Curiæ vestræ, ita armati paratique obviam imperatoribus legionibusque vestris processimus. hic noster, hic plebis nostræ habitus fuit, eritque semper; nisi si quando a vobis, proque vobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus vestris & exercitibus; quod oculis magis quam auribus crediderunt: & ubi nihil hostile erat, ne ipsi quidem fecerunt. Pacem, quam nos præstitimus, eam a vobis petimus. bellum eo, sicubi est, avertatis, precamur. In nos quid arma possunt vestra, si patiendo experiundum est, inermes experiemur. hæc mens nostra. dii immortales faciant, tam felix, quam pia. Quod ad crimina attinet, quibus moti bellum indixistis: & si re victa rebus, verbis confutare nihil attinet: tamen etiamsi vera sint, vel fateri nobis ea, cum tam evidenter pœnituerit, tutum censemus. peccetur in vos, dum digni sitis, quibus ita satis fiat. Tantum fere verborum ab Tusculanis factum pacem in præsentia, nec ita multo post, Civitatem etiam impetraverunt. *Ab Tusculo legiones deductæ.* Hactenus Livius de Tusculanorum solerti consilio in Romanorum ira placanda. Ex quibus multa ad Tusculi Tusculanorumque historiam illustrandam eruimus. Primo quidem, Romanos Tusculanorum bellicam virtutem & societatem plurimi fecisse; quippe qui eorum defectioni vix nuntiatæ ac detectæ occurrendum statim totius Reipublicæ viribus censuerunt. Tusculanorum deinde Ulyssea vafrities apparet; qui per insidias socios Romanos circumvenire prius voluerunt; mox, cum res ma-

le cessisset, ad dissimulationem facti, per summam amicitiæ conservatæ speciem, conversi sunt. Scilicet Telegonum Ulyssis mortalium omnium vaferrimi Conditorem Tusculi jactitabant. Urbis etiam ipsius Tusculanæ statum ex hactenus narratis agnoscimus. In ea enim tabernæ plurimæ ubi venalia omnis generis proposita erant, extitisse, ac cujuscumque artis opifices perhibentur; vulgus plurimum plebis, puerorumque ac mulierum ultro citroque per trivia & compita commeantium; ludi denique literarum permulti, in quibus juventus in bonis artibus instituebatur. Quæ, Tusculum urbem divitem, populosam & literarum studiis florentem ea ætate fuisse, designant. Profecto de studiis literarum, quod Tusculi florerent, id vero mirum ac rarum. Siquidem *Mars Latio venerandus erat, qui præsidet armis; arma feræ genti remque decusque dabant*. Honorificentissima quoque Tusculani Senatus mentio fit in allata Livii narratione; Dictatoremque Tusculi supremum ordinarium Magistratum, ac veluti Senatus Principem fuisse, cognoscimus. Demum, Tusculanos non solum pacem ea arte ab Romanis impetravisse, verum etiam antiquo *Sociorum* titulo, & *decus Civium Romanorum* additum omnes adeptos. Quod tamen illis caro admodum stetit.

16. *Liv. l.* 6. Siquidem V. C. an. CCCLXXIX. 16. Latini ab Satrici direptione ad Tusculi, magno impetu, aggressi sunt. Incensi ea rabie Tusculum petierunt, quod

quod Tusculani, deserto communi Concilio ad Caput Aquæ Ferentinæ cogi consueto, non modo in Romanorum se societatem, sed etiam in Civitatem dedissent. Itaque aggressi Latini Tusculum; patentibusque portis, cum improviso incidissent; primo clamore, oppidum, præter arcem, captum est. In arcem oppidani refugere cum conjugibus ac liberis; nuntiosque Romam, qui certiorem de suo casu Senatum facerent, misere. Haud segnius quam fide Populi Romani dignum fuit, exercitus Tusculum ductus. L. Quintius & Servius Sulpicius Tribuni militum duxere. Clausas portas Tusculi, Latinosque simul obsidentium atque obsessorum animo hinc moenia tueri vident; illinc arcem oppugnare; terrere una ac pavere. Adventus enim Romanorum utriusque partis animos commutaverat. Tusculani, visis Romanis sociis ac civibus, ex ingenti metu in summam alacritatem transiere; atque ad rem strenue gerendam, pellendosque de sua urbe Latinos hostes egregie sunt animati. Latini, contra, cum certam jam arcis Tusculanæ direptionem & prædam sibi spopondissent; quoniam oppido potirentur; in exiguam jam de se ipsis servandis, deque Romano hoste evadendo, spem ceciderunt. Itaque Tusculani, ingenti ex arce sublato clamore, aliquanto majore vociferatione ab Romano exercitu excepti sunt. Interim Latini valide urgentur utrinque: nec impetus Tusculanorum decurrentium ex superiore

loco ſuſtinent ; nec Romanos ſubeuntes mœnia, molienteſque obices portarum, arcere poſſunt. Cum tamen id repetito Romanus fruſtra tentaſſet; quod Latinorum robur omne ad portas ipſas tutandas confluxerat; ſcalis primo mœnia cepit; aliqua parte ſui incuſtodita, & a Latinis ad portas fere unice intentis prætermiſſa. Mox ubi in urbem manus ampla intromiſſa, portarum clauſtra & repagula magno impetu effregit; Latinis nequicquam contranitentibus. Jamque per patentes portas Romano exercitu omni ſubeunte, Latini & a Tuſculanis de ſuperiore arcis faſtigio indeſinenter appetiti, & a ferocibus Romanis circumventi, cum anceps hoſtis & a fronte & a tergo urgeret; nec ad pugnam ulla vis, nec ad fugam loci quicquam ſupereſſet; in medio, ad unum omnes cæſi ſunt. Tuſculum ſuis civibus redditum; & Romanus exercitus, novo ſibi Tuſculanis ſociis ac civibus ſuis beneficio ad fidem ſervandam obligatis, Tuſculo reductus eſt. Profecto ex hac narratione de Livii penu deprompta, quis oculis ipſis, ut ita dicam, non perſpiciat, ſitum antiqui Tuſculi in ſummo Tuſculani montis extitiſſe cacumine? Certe arx, quod etiam Mattejus fatetur, in ſummo jugo fuit. Atque ea ab ipſa urbe circumdata, in ejus meditullio fuiſſe ex hactenus narratis deprehenditur. ſiquidem capta urbe, Tuſculani continuo in arcem ſeſe receperunt cum conjugibus & liberis; deque arce in Latinos urbe potitos, conti-

ti-

tinua, nec irrita tela jaciebant. Fuit igitur Tuſculum circa ipſam arcem; loco nimirum, quem antiquiſſimo ſuo nomine nunc quoque *Tuſculum* appellamus. Neque enim, ſi arx Tuſculi veteris in jugo montis, ubi nunc dicitur *Il Tuſcolo* fuiſſet; urbs vero Tuſculana, loco, ubi nunc *Fraſcati*, tertio, aut quarto, ut Holſtenio placuit, milliario diſtans; aut improviſa fuga potuiſſent Tuſculani ex urbe a Latinis capta, in arcem, cum impedimento præſertim conjugum ac liberorum, in tempore ſeſe recipere; aut ex illa Latinos in urbe Tuſculi tam procul ab arce ſtantes telis appetere, quæ hoſtem ad urbe excedendum cogerent, aut vulnerarent. Intervalla enim vides humane commoda. Cum præſertim ea ætate tormentorum bellicorum uſus ignoraretur; reſque ſaxis, ſtipitibus duris, ſudibuſque præuſtis ageretur; & ea diſtantia, extra ipſum ſagittarum, etiam maximo impetu ejaculatarum, ictum eſſet. Jam vero V. C. CCCCXV. T. Manlio Torquato quartum, P. Decio Mure Coſs. celeberrimo Latino adverſus Romanos bello Tuſculani quoque, quamquam ſocii & cives, in eoſdem moverunt. In eo inſigne Tuſculani Ducis & Romani ſingulare certamen fuit. 17. T. Manlius Conſulis filius ſuper caſtra hoſtium cum ſuis turmalibus evaſit, ut vix teli jactu ab ſtatione proxima abeſſet. Ibi Tuſculani erant equites. His præerat Geminius Metius Tuſculanus vir tum generis nobilitate tum rerum geſtarum gloria inter ſuos

17. *Liv. l.* 8.

ſuos clariſſimus. Is Romanos equites intuitus, inſignemque præ ceteris Conſulis filium cum agnoviſſet, (cum utrinque clari viri utique invicem noti eſſent in tanta locorum atque urbium vicinitate): *una ne turma*, exclamavit, *Romani, cum Latinis ſociiſque bellum tanta confidentia geſturi eſtis? Quid interea Conſules, quid duo Conſulares exercitus agunt? Quid latitant, quid cavent? quid certe morantes tergiverſantur?* Manlius, quamquam ab Conſulibus, capitali pœna propoſita, edictum fuiſſet, ne quis extra ordinem pugnaret; Tuſculani tamen acriter audacibus dictis commotus, *Aderunt*, inquit, *in tempore; cum illis Juppiter ipſe, fœderum a vobis violatorum teſtis atque ultor, pœnas de fœdifragis ſumturus accedet. Si ad Regillum lacum ad ſatietatem veſtram pugnavimus; hic quoque efficiemus profecto, ne nimis acies vobis, & collata ſigna cordi ſint.* Tuſculanus ad hæc paullulum ab ſuis equo cum proceſſiſſet: *Quin, tu, Manli, dum exercitus cum Jove adventant, & conſtituta dies adeſt, qua tanto conatu nos aggrediamini, interea tu ipſe mecum congrederis ſingulari certamine; ut noſtro duorum jam hinc eventu cernatur, quantum eques Latinus Romano præſtet?* Movit ferocem animum juvenis ſeu ira, ſeu detrectandi certaminis pudor. Oblitus itaque imperii patrii, Conſulumque edicti, præceps ad id certamen agitur, quo, vinceret, aut vinceretur, haud multum intereſſet. Igitur turmis duabus equitum hinc atque inde ſemotis; per ſpatium, quod ab utriſque vacuum

cuum relictum fuerat, adverſos quiſque concitant equos; concurruntque infeſtis cuſpidibus. Manlii cuſpis ſuper galeam hoſtis, Tuſculani trans cervicem equi elapſa eſt. Circumductis deinde equis, cum prior ad iterandum ictum Manlius conſurrexiſſet; ſpiculum inter aures equi fixit. Ad cujus vulneris ſenſum, cum equus; prioribus pedibus erectis, magna vi caput quateret, Geminium excuſſit. Dumque is cuſpide & parma innixus a gravi caſu ſe attollere conatur; Manlius eum ab jugulo, ita ut per coſtas ferrum emineret, adactum terræ affixit. Hoſte ſic exanimato; de illo ſpolia confeſtim legit. Reverſuſque ad ſuos, ob Conſularis edicti violati, militariſque diſciplinæ fractæ crimen, ab ipſo Torquato genitore capitis mulctatus eſt: frementibus nequicquam commilitonibus; verum ob Conſularis majeſtatis reverentiam ſeſe opponere violenter minime auſis. Cum autem haud ita multo poſt Romæ de pœnis, Latinorum ſingulis Populis, qui adverſus Romanos conjuraverant, infligendis, pro cujuſque meritis, ſtatueretur; Tuſculanis ſervata Civitas eſt Romana, quam habebant: eo quod illos paucorum potius privato conſilio, quam publica Tuſculani Senatus auctoritate, ea arma ſumſiſſe, conſtitiſſet. Ita hunc quoque feliciter, ut alias, Tuſculani Romanorum furorem evaſerunt.

Ceterum, Tuſculanos in fide Populi Romani ad uſque V. C. quadringenteſimum trigeſimum pri-

primum mansisse, legimus. Quo anno, Cajo Sulpicio Longo iterum, Q. Æmilio Cerretano Coss. consilium opemque Veliternis ac Privernatibus Romanorum hostibus in bello adversus eosdem
18. Liv. l. 8. Romanos instaurando, contulisse, accusati sunt. 18. Itaque eodem anno de Tusculanis Romæ, Flavia rogatione, Populi fuit judicium. Siquidem M. Flavius Tribunus plebis ad Populum tulit, ut in Tusculanos infidos socios ac cives animadverteretur; ab eis consilio & opibus adjutos fuisse Romanos hostes, Veliternos scilicet & Privernates, qui Populo Romano recens tum fecerant bellum. Populus Tusculanus ad antiquas suorum artes in deprecando a Romanis supplicio, eorumque furore placando conversus; cum conjugibus ac liberis Romam venit. Ea multitudo, veste mutata, specie atque habitu reorum Romanas Tribus, quæ ad suffragia pro eorum damnatione convenerant, circumire cœpit; genibus se omnium advoluens; verbisque ac gestibus ad commiserationem quam aptissimis, vetera ab Tusculanis Romano Populo collata beneficia commemorans. Plus itaque misericordia ad pœnæ veniam impetrandam, quam caussa ad crimen purgandum valuit. Tribus omnes, præter unam Polliam, Flavianam rogationem de pœna ab Tusculanis sumenda antiquarunt. Severior Pollia ceteris in ea fuit sententia, ut puberes Tusculanorum omnes, verberati prius, necarentur; conjuges liberique sub corona, lege bel-
li,

li, venirent. Ea perpetuorum odiorum caussa fuit Tusculanis in Tribum Polliam. Siquidem ad ultima usque Romanæ Reipublicæ tempora, publicæ, Polliam inter Tribum atque Papiriam, in qua Tusculani suffragium ferebant, inimicitiæ fuerunt. Nec ullum ex Pollia Tribu Candidatum Papiria unquam tulit, aut suis suffragiis adjuvit. Bello autem Punico secundo fervente quammaxime; Annibalem ab Tusculanis oppido repulsum Livius & Silius tradidere. Et hæc quidem Tusculanorum res bello gestæ, Romana, suaque florente Republica.

Ceterum in fide Pop. Romani semper deinceps permansere: eumque & annona, & militum auxiliaribus copiis juvere. Quin immo, cum a primis ferme Romanæ Reipublicæ sæculis Romana fuerint Civitate donati; pars ipsi nobilis Romanorum evasere. Unde & in communionem rerum gestarum Pop. Romani etiam Tusculani venere. Tusculum enim Municipium fuit honestissimum; quod inter cetera antiquissimum, & primum omnium recensetur. Propriis semper legibus ad extremum usque Romanæ Reipublicæ tempus vivere permissum est. Cumque, ut modo ajebam, Romana Civitate ex antiquis temporibus gauderet; quamplurimas nobilissimas familias summis honoribus functas Romæ subministravit. Ex quibus viri bello & pace clarissimi fortissimique prodiere. Quorum præcipuos aliquot infra commemorabimus.

mus. Nunc tempora, & modum, quo potiſſimum Tuſculani in Civitatem Romanam cooptati ſunt, ex iis, quæ in ſuperioribus de Livii penu protulimus, deſignare opportunum eſt. Itaque primum omnium, Municipium cum ſuffragii latione fuit Tuſculum. Cui quum (ut inquit Pompejus Feſtus) primo ſine ſuffragio Civitas data eſſet; poſt aliquot annos, *pleno jure* Cives Romani Tuſculani facti ſunt. Illud Urbis Conditæ trecenteſimo ſeptuageſimo tertio factum, 19. meminimus ex Livio. Civitatem vero Romanam ſine ſuffragii jure eos adeptos fuiſſe quadriennio poſt, eodem ex auctore eruimus. Siquidem ſic refert: incenſos Latinos ea rabie impetus Tuſculum tulit, ob iram, quod deſerto communi Concilio Latinorum, non in ſocietatem modo Romanam, ſed etiam in Civitatem ſe dediſſent. Quod V. C. CCCLXXVII. factum, legimus. Tuſculanos vero ſuffragii jus adeptos fuiſſe haud longe poſt primum Conſulem e plebe creatum, ex his Imp. Claudii verbis apud Tacitum eſt intelligere: * *Plebeii*, inquit, *Magiſtratus poſt Patricios. Latini poſt Plebejos; ceterarum Italiæ gentium poſt Latinos*. Neque enim æquum videbatur; plebem Romanam magiſtratibus capiendis excluſam, alienigenas vero admiſſos fuiſſe. Tuſculanos autem ſuffragii jure a Populo donatos in Tribum Papiriam (ut Livius libro octavo, vel Popilliam, ut Valerius libro nono, capite decimo, tradunt) a Cenſoribus relatos fuiſſe, conſtat. Adjecit denique Li-

19. Lib. 6.

* Annal. l. 11.

Livius eodem libro; post bellum Latinum, quo Latium omne domitum est, anno V.C. sexcentesimo decimo sexto, L. Furio, C. Menio Coss. Tusculanis Civitas servata, quam habebant; crimenque rebellionis a publica fraude in paucos auctores versum. Ex quibus liquet, Tusculanos perpetuo Cives Romanos fuisse. De Municipio Tusculo luculentissimum & honorificentissimum, inter alia, testimonium est Ciceronis, in Oratione Pro Cneo Plancio, in qua M. Laterensem adversarium alloquens Tullius, *Tu es*, inquit, *ex Municipio antiquissimo Tusculano, ex quo plurimæ familiæ sunt Consulares; in quibus est etiam Juventia; quot e reliquis Municipiis omnibus non sunt*. Paucisque interjectis, Tusculanos a modestia laudans, quod in suis claris viris jactandis non extollerentur: *Num*, inquit, *aliquando vides, Tusculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute principe, num de T. Coruncano Municipe suo, num de tot Fabiis gloriari? Verbum nemo facit*. Caussamque hujus moris a Tusculanis adhibiti eam addit multo honorificentissimam, quod scilicet id Municipium Consularibus refertum erat. Suis hinc legibus, quod Municipiorum proprium fuit, Tusculani diutissime uti permissi sunt. Quarum etiam unam alteramve apud veteres Auctores commemoratam invenimus. Siquidem: 20. *apud Tusculanos*, inquit Varro, *lege cautum erat, ne quis vinum novum, antequam Vinalia calarentur, in urbem inveheret*. Et Macrobius ex Hygino: 21. *Tu-*

20. *L. 5. L. L.*

21. *Saturnal. l. 1. c. 12.*

ſculi, privignos ducere novercas conſueviſſe; & iis, qui viros interfeciſſent, eorum viduas deſponſare licuiſſe. Quæ tamen lex Tuſculanorum ex fabula Telegoni, Ulyſſis patris interfectoris, & Circes deinde mariti, pendere videtur.

Ceterum, licet verum ſit, Tuſculum Romanorum Coloniam deductam nunquam fuiſſe; male tamen Mattejus dubitat de Colonia Albanorum, regnante Latino Silvio Albano rege, deducta Tuſculum. Cum id ex Dionyſio perſpicue conſtet. Poſtquam autem Cæſares Romæ rerum potiti ſunt; Tuſculanum Municipium in ſuburbanam veluti Principis Urbis partem conceſſit: & civium quidem frequentia deſtitui cœpit; villarum vero deliciis copioſiſſime affluere. De Tuſculanorum Municipum exiguo numero meminit etiam Tullius in Planciana. Colebant tamen Tuſculanum agrum, Romani præcipue illi, qui Tuſculo oriundi erant, ut Quintii, Porcii, Coruncanii, aliique, de quibus ſuo loco cetera. Ex his aliquis a Tuſculanis in ſui Municipii Patronum ſemper eligebatur. quod erutus in Tuſculano lapis teſtatur

FLACCIAN - - - - - - - - -
AED. CVR. PATRONO MVN.
TVSCVLAN . . . ET . . . .
ANCARIAE VALE
RIAE . CLARISS. FOEMINAE
Q. ANCARIVS . C. F. LATINVS
EQ. R. FAC. CVR
L. D. D. D.

Præ-

Præter Patronum Municipii. Tuſculani *Curatorem* quoque, *Reipublicæ Tuſculanorum* invenimus. Hujuſmodi fuiſſe L. Cæſonium Lucillum e Quirina Tribu, vetus Inſcriptio nos docet

L. CAESONIVS C. F. QVIRINA . LVCILLVS
MACER . RVFINIANVS . CONSVL . FRATER
ARVALIS
PRAEFECTVS . VRBI . ELECTVS . AD . CO
GNOSCENDAS VICE CAESARIS
COGNITIONES . PROCOS. PROV. AFRICAE
INTER XX VIROS EX SENATVS
CONSVLTO
R. P. CVRAND. CVRATOR . AQVAR
ET . MINICIAE
CVR. ALBEI TIBERIS ET CLOACARVM
VRBIS . LEGATVS . PROV. AFRICAE . EODEM
TEMPORE . VICE . PROCONSVLIS
CVRATOR
R. P. TVSCVLANORVM . CVRATOR
R. P. SVESSANORVM
PRAETOR . KANDIDATVS . QVAESTOR
KANDIDAT
ELECTVS . IN . FAMILIAM . PATRICIAM
X VIR STLITIBVS . IVDICANDIS.
Cetera

Quamquam diverſum omnino Curatoris ab Patroni munere, fuiſſe munus, viri aliqui eruditi judicaverint. Quod autem Tuſculani militibus Romanos juvarent, teſtis eſt lapis alius, in quo *Decuriæ Tuſculanenſium* fit mentio.

C. CO-

C. COPONI CRESCENTIS
DEC. THVSCVLANENSIVM
QVAEST. R. P. VETER. AVG.
LEG. XIV. GEMIN. SIGNIFER
R. M. FECERVNT
C. CAVIVS . PRISCVS . FIL
SCRIB. RESTITVTVS . HER
V. A. L.

Majeſtate vero Romani Imperii deficiente jam, Tuſculani ſub Comitum propriorum, qui ex Hetruria nobiliſſimi erant, regimine, in quandam veluti ſe libertatem aſſerere perſæpe auſi ſunt. Quare ſe cum his modo Germaniæ Regibus, modo jam cum illis conjungere, & belli paciſque ſocietatem ac fœdera inire conſueverunt. Ipſis quoque Romanis infeſti, eorum & agros & urbem & exercitus populationibus ac cædibus vexare non deſtiterunt. Donec ab iis, veteri odio exaſperatis quammaxime, Tuſculum exciſum penitus fuit. Bella hæc Chriſtianis ſæculis Tuſculanos inter varioſque hoſtes plurimos habita, quæ noſtri non eſt hic inſtituti commemorare, antiquiora tantum profanorum temporum nobis recenſentibus, apud Barnabam Mattejum diligenter 22. notata invenies. Nos Tuſculi Veteris tantum excidium, quod polliciti ſumus initio, hic recenſebimus.

22. Mem. dell' Antic. Tuſcol. a pag. 141. uſq. ad fin. libr.

Itaque, Cœleſtino Tertio Romano Pontifice, atque Henrico Romanorum Imperatore hujuſce nominis ſexto; cum jam antea ſæpe Romani, ut Tuſculum excideretur, ab Imperatoribus poſtulaſ-

laſſent; ob antiqua inteſtina in Tuſculanos odia; cladem præcipue ab Tuſculanis cum Germanorum exercitu conjunctis ſibi illatam, qua, uno die ad duodecim Romanorum millia cecidiſſe perhibentur; id excidium ſæpius a Cæſaribus ſtabilitum, tandem aliquando juxta Romanorum vota peractum eſt. Siquidem anno a Virginis Partu milleſimo centeſimo nonageſimo primo, ipſa Feria ſexta Majoris Hebdomadæ, cum Henricus Romam veniſſet, ut a Romano Pontifice Imperatoria corona inſigniretur; neque id juxta fœdera conſequi poſſet, antequam Germanorum militum præſidium ab Tuſculo reduxiſſet; eamque urbem excidendam Romanis traderet; utrumque vi fœderis præſtitit. Itaque Populus Romanus, Tiburtinis, qui veteri & ipſi invidia Tuſculanis infenſi erant, noctu accitis, deſertum jam ab Germanorum præſidio Tuſculum, & ex improviſo ante lucem aggreſſus, ferro ignique mœnia ac reliqua publica & privata ædificia vaſtavit. Cum enim Tuſculanos una cum conjugibus ac liberis quiete, nihilque tale ſuſpicantes, intra domos quemque ſuas reperiſſent hoſtes; paucis, qui ad Portarum cuſtodias ſtabant, occiſis, inexaturabili odio adverſus cives, nemini parcentes, crudeliſſime deſævierunt. Non modo enim inermes interficiebant; verum, cum jam interfeciſſent, in cadavera quoque furiis acti ferebantur; alia manibus, alia cruribus, hæc oculis, ea auribus, vel naribus mutilantes.

tes. Quod etiam vivis pluribus intulerunt; quos foede ita laceratos extra patriam vagos expulere. Tantus autem in excidendo Tusculo Romanorum Tiburtinorumque furor fuit; ut, non modo solo omnia ædificia æquaverint; verum igni ferroque ipsas etiam ruinas corruperint, & sale locum seminaverint. Ingentem vero veterum monimentorum nobilissimorum prædam & Tibur Tiburtes, & multo magis Romani Romam asportaverunt. Inter quæ, marmora plurima, & statuas in Capitolio illo collocaverunt, quod antiquissimis temporibus Romani, Tusculanorum præcipue virtute, occupatum a servis, receperant. Quotannis quoque Romæ diu solemnem Tusculi excisionis memoriam festis ludis celebrare perrexerunt. In quibus, tamquam pompa, cineres Tusculanæ urbis populo ostendi solebant. Duasque Tusculanæ veteris urbis claves ferreæ catenæ alligatas, de Gallieni triumphali fornice, nunc *Sancti Viti*, ad perpetuam rei memoriam suspenderunt. quas patrum usque in ætatem ibidem visas, accepimus. Nec enim Tiburtinæ, ut male quidam, verum Tusculanæ ab Romanis, & Tiburtinis simul excisæ urbis claves illæ fuerunt. Tiburtes vero, inter alia ipsi quoque spolia de Tusculanis parta, Ægyptias statuas duas Isidem & Canopum referentes, quas vulgo *Canopos* vocant, Tibur transtulerunt. Quæ hodieque Tiburi in foro Ulmi, ante Sacram Ædem Principem, extant. Imaginem quoque Re-

pa-

NONNVLLA TVSCVLANORVM VETERVM MONVMENTA.



I. C. Mamilii ex Gente Tuſculana Numus, in quo Vlyſses et Mercurius Telegoni Conditoris Tuſculi Majores repraeſentantur. II. Numulus Sodalitii Veterum Tuſculanorum. III. Sulpiciae Gentis origine Tuſculanae Numus apud Vrſinum, in quo Vrbs Tuſculum et Caſtores, qui ad Regillum in Tuſculano crediti ſunt pugnaſse, exhibentur. IV. Antiquae Vrbis Tuſculi figura eodem ex numo. V. Lucii Luculli ſepulcri veſtigium propè portam Tuſculanam nunc di S. Pietro di Fraſcati privatae domus intra fines incluſum. VI. Vetus fanum ne an ſepulcrum? in agro Tuſculano, olim Rocciorum. VII. Antiqui Aedificii cum gradibus, forte ad ſpectacula, in Tuſculano monte veſtigium.

paratoris Nostri Sanctissimi prodigiis & cultu celeberrimam, cujus pictorem Sanctum Lucam tradunt fuisse, Tiburtes ex ea præda intra sua mœnia transtulerunt. Quam, in hanc diem, summa apud ipsos veneratione coli, videmus. Illud hic non omiserim; excidium urbis Tusculi, quod Scriptores plerique omnes anno Reparati Orbis millesimo centesimo nonagesimo primo contigisse perhibent, in quodam M. S. Codice Collegii Basilianorum ad *Cryptam Ferratam* in Tusculano, anno ante, accidisse, memorari. Codex Græce scriptus *Martyrologium Basilii Porphyrogeniti Imperatoris* inscribitur; atque is est, quem magna ex parte in Latinum sermonem conversum a Petro Benedicto, sive Ambarakio, Syro Maronita Societatis Jesu, Sacrarum Literarum ac Orientalium Linguarum scientia viro clarissimo ac peritissimo, nuper editum, cura & studio Annibalis Albani Cardinalis Amplissimi, Clementis XI. P. M. Fratris filii, nobilissime, legimus. In hoc itaque M.S.Codice, ad primæ Aprilis mensis diei marginem, ita antiquis literis scriptum est. μηνὶ Ἀπριλλ. ά. ἐξωλοθρεύθη ἡ πόλις τουσκλανὸς παρὰ τῶν ῥωμάνων ἐν ἔτει τῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ σαρκώσεως ͵α, ρ, ς'. nempe. *Mense Aprili. Prima die excisa est urbs Tusculana a Romanis, in anno Domini nostri Jesu Christi Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo*. Quod tamen unius anni discrimen facile conciliari poterit; si, Scriptores cæteros ab Christi in Uterum Virginis descensu, quod dicimus *Incarnationem*;

Codicem vero ab ejus, nono post mense, Bethlemio Natali, ut communius fit, annos computandi exordium sumsisse, dixerimus. Tusculo jam sic exciso, ædificiorum quidem fragmenta in villarum circa Tusculanos colles structuram concessere; maxime vero in oppidorum aliquot circum. Inter quæ præcipuum extitisse memorant illud, quod juxta Viam Latinam ad dexterum ejus latus Roma venientibus, ad radices Albani montis, e Tusculi regione constructum, *Molariam*, de molibus Tusculanis, dixere. Quo ex iis, qui hostium furorem evaserant, permulti Tusculanorum convenerunt. Brevi tamen factionum ac civilium seditionum motibus id quoque oppidum excisum est, jacetque jamdiu in ruinis, prope diversorium, ejusdem nominis *L'Ostaria della Molara*. Tusculanorum, qui inter ceteros *priores* erant, scilicet Optimates, aliquos montem agri quondam Algidensis occupasse ajunt, nunc vulgo *Rocca Priora*. Quamvis alio alii deductum id nomen contendant, atque a perjurio incolarum, quod scilicet Romanis juratam fidem fefellissent, *Arcem Perjuram*, & Italice *Rocca Spergiura*, corrupte *Priora*, id oppidum nominatum velint. De quo non pugno. In Gallias permultos e Tusculanis peregre profectos, sunt, qui commemorent. Quod tamen certissimum est; reliquiæ Tusculanorum ab excisa patria, locum circa Luculli villam, ejusque piscinas, ac thermas, in imo fere Tusculani montis occupavere; quod mu-

muris nonnullis vivariorum adhuc extantibus opportunus videretur. Ibi, cum rerum omnium egeni essent; nec adhuc hostile Romanorum odium deferbuisset omnino; casas e frondentibus ramis arborum excitarunt; quas *Frascati* appellaverunt, quia e frondentibus ipsis ramis, vulgo *Frasche* appellatis, constabant. Hæc tenuia novi Tusculi exordia, quæ maximarum quoque urbium, ipsiusque Romæ, fuerunt. Quantis vero hæc urbs incrementis in nobilem præsentem statum aucta fuerit, infra opportunius recensebitur.

CAPUT III.

De Villis Tusculanis, ac præcipue de Tusculano Marci Tullii Ciceronis, ejusque amicorum.



QUAMQUAM, propter antiquissimam sui Conditoris originem, rerumque gestarum famam, Tusculum semper fuerit celebratum; maxima tamen ejus laus, tum antiquitus tum per hæc tempora, de villarum, quibus cingebatur, adeoque cingitur, magnificentia & deliciis, consurgit. Regio hæc situ longe amœnissimo sedet; interque colles ac tumulos omnis patientes culturæ constituta, nec planiciem, nec sublimitatem desiderat. Cumulatur proinde frugum omnium copia, tum quæ camporum æquora, tum quæ

montium excelsa foecundant. Aspectu quoque coeli fruitur perbenigno, temperatoque aere quammaxime ac saluberrimo. In Occidentem namque solem Romam respicit, mare Tuscum in meridianum; in Orientem vero Albanos montes atque agros, Labicanas quoque atque Algidenses silvas. Denique Tiburtinos & Sabinos campos ac Praenestinos montes in Septemtriones. Hæc soli amoenitas cœlique salubritas antiquissimos primo Conditores ad ipsum Tusculum fundandum; mox incolas ad suburbanis idem cingendum villis; denique Romanos veteres ac recentes ad multo magnificentioribus celebrandum locum, singulis ætatibus allexerunt. Quare, Strabonis ævo, qui sub Augusto floruit, præcipua Tusculi fama de regiarum villarum ornatissimo apparatu, quibus circumcirca coronabatur urbs Tusculana, conflata fuit. 1. Has, circa ipsam urbem magnificentissime extructas, regiarum ædium instar, maxime ex ea parte, quæ Romam prospicit, plantationibus amoenissimis, omnique deliciarum genere circumsitas, is auctor commemorat. Quarum, licet fere omnium etiam ruinæ perierint; vestigium tamen aliquod nonnullarum vel ab inscriptis repertis lapidibus, vel ab veterum Scriptotum testimoniis, vel a nominum, licet corruptissimorum, reliquiis, eruditæ antiquitatis amatores invenerunt. Horum nos solertiam secuti, dicimus, in Tusculano villas olim fuisse percelebres, M. Tullii Ciceronis, & Quin-

1. *Lib. sup. memorat.*

Quinti ejus fratris, Sergii vel potius Servii Galbæ Imperatoris, Lucii Luculli, Marci Porcii Catonis, T. Pomponii Attici, L. Murenæ, Asinii Pollionis, M. Bebii, T. Quintii, Augusti Cæsaris, C. Cilnii Mecœnatis, Q. Horatii Flacci poetæ, Metelli Pontif. Max. Pallieni, & Neronis, Domitiani Imperatoris, Symmachi Consulis, Furiorum. Habuere item villas in Tusculano Acilii, Aurelii, Cornelii, Cornuti, Cenonii, Centronii, Cornuficii, Crispi, Flavii, Fortunati, Licinii, Marcii, Menenii, Plancii, Popilii, Valerii, aliique quamplurimi Romanorum nobilissimi. Harum situm villarum ex antiquis lapidum fragmentis repertis Pyrrhus Ligorius, designare pariter, & circumscribere ex parte, non dubitavit. Ait enim, Planciam eo loci fuisse, ubi Ligorii ætate, Ranuccius Cardinalis Farnesius suam habebat; quæ a Falconeriis nunc possessa, *Rufina*, elapso sæculo, de Rufini domini nomine dicebatur. Porciam in monte, qui nunc etiam dicitur *Porcius*. Liciniam e regione Regilli lacus, in excelso tumulo. Lucullanam, ubi nunc recens Tusculum *Frascati*; verum latissimis spatiis undequaque productam. Flacciam sive Flaviam, prope Planciam, adeoque Rufinam; Centroniam, juxta præsentem Rocciam, ubi subterranea maxima rudera, vulgo *i Centroni*. Rursum ex vocabulis antiqua non minimum imitatis, deduci non inani conjectura posse videtur; locum in Tusculano, qui nunc *Cocciano* ap-

appellatur, Coccejanum fuiſſe, ſcilicet Coccejorum prædium; *Caſa Mara* Mariorum, *Caſale di Morena*, Murenarum, *Valle Marciana* Marciorum, *Prata Porci*, Porciorum, ſive etiam ipſius M. Porcii Catonis peculiariter prata, *La Cornuſella* Cornuficiorum villam extitiſſe. Quamvis non abnuerim, his derivationibus, non ſemper fidendum eſſe; niſi aliquo aliunde petito fundamento fulciantur, & confirmentur. De his omnibus nos infra ſingillatim, quæcumque ad nos pervenere, monumenta proferemus. Nunc de celeberrimo M. Tullii Ciceronis Tuſculano peculiariter eſt diſſerendum. Itaque Marcum Tullium Ciceronem villam habuiſſe in Tuſculano, ſummopere dilexiſſe, ac frequentaſſe, ex ejuſdem maxime libris cognoſcimus. In epiſtolis præſertim ad Atticum, tum etiam ad Q. Fratrem, & ad ceteros ſuos familiares, frequentiſſimam Tuſculani ſui mentionem habet. Ac præcipue ad Tironem chariſſimum Libertum ſuum, & pereruditum, ex diuturno ac periculoſo morbo, quem in Græcia cum Cicerone verſans contraxerat, in Tuſculano diverſantem, ad convaleſcendum, ſic Tullius Epiſtola, quæ Libri ſexti decimi familiarium decima octava recenſetur, ſignificavit: *Tibi anaphoriſin gaudeo profuiſſe. Si vero etiam Tuſculanum, Dii boni, quanto mihi illud erit amabilius?* & poſt nonnulla, infra: *Fac bellus revertare: non modo te, ſed etiam Tuſculanum noſtrum plus amem*. Porro locum Tuſculani Ciceronis ex ipſius

ipſius verbis, vetuſtiſque erutis ex monumentis, deſignare facile poſſumus. Hunc ſitum, ubi nunc inſigne Beati Baſilii aſſeclarum Collegium, vulgo *Badia di Grotta Ferrata* fuiſſe, comperiimus. Quamvis enim in ſummo fere Tuſculani montis jugo, haud ita procul a Sacchetta villa, nunc Collegii Romani Societatis Jeſu, murorum rudera adhuc extantia, *La Scuola di Cicerone* vulgus appellet; eum tamen villæ Tuſculanæ Ciceronis potiſſimæ locum minime fuiſſe, jam ſatis conſtat. Siquidem, aquam Crabram Tuſculanum Ciceronis irrigaſſe, de ipſo didicimus; cujus teſtimonium infra recitabimus. Atqui hoc in dorſum Tuſculani montis adeo ſublime, humilis admodum ea aqua, vi nulla adſcendiſſe potuit; manifeſtum eſt igitur, celebre Tuſculanum Ciceronis ſuper eo jugo minime conſtitutum fuiſſe. Quod ſi ea rudera, in Tuſculano monte, alterius Ciceronis villæ urbanæ Tuſculi, vel ſuburbanæ, fuiſſe, contenderis; non difficiles dabo manus. Si enim hodie videmus, Romanos regulos, atque etiam privatos cives, plures diverſis locis villas in Tuſculano poſſidere; quanto minus, veteres potentiſſimos atque ditiſſimos idem uſurpaſſe, inveriſimile fiet? Non tamen id eruitur, (quod quidam nuperrime falſo ſcripſit) ex verbis Ciceronis pro Domo ſua: *Cum Domus mihi in Palatio, villa in Tuſculano; altera ad alterum Conſulem transferebatur*. Siquidem de domo ſua Romæ ibi loquitur Cicero, quæ in Palatio, ſeu Pala-

tino colle fuerat; dirutaque ab inimico Tullii Clodio, & consecrata ejus area. pro cujus recuperatione pulcherrimam illam Cicero Orationem habuit. Hoc quidem Horatii interpres asseruit, ad eum locum Poetæ: *nec ut superni villa candens Tusculi Circæa tangat mœnia*: ait enim: *superni h. e. in monte siti, ad cujus latera superiora Cicero villam suam habebat Tusculanam*. Quamquam non illam certe, quæ *Tusculanum* ab Tullio, propter excellentiam, semper appellatur. Ex quo etiam mirum est, nobis de duplici ejus Tusculana villa nullum, nec minimum, lumen affulsisse. Itaque Ciceronis Tusculanum ductibus Aquæ Cabræ irriguum fuit. Quod Tullius disertis verbis non semel tradidit. Cum enim eam aquam induci in villam suam optaret, eaque res per amicos absentes tractaretur, ita ad Tironem libertum scripsit: 2. *De aqua Crabra quid agatur nescio; & si nunc quidem nimium est aquæ, tamen velim scire*. Et in oratione pro Balbo. *Nos de aqua nostra Tusculana M. Tugionem potius, quam C. Aquilium consulebamus*. Cum autem negotium jam fuisset confectum, a Municipio se Tusculano eam aquam accepisse Tullius testatus est; vectigalque ab se illi Municipio pendendum, pro eo beneficio. Oratione enim tertia de Lege Agraria; *Ergo*, inquit, *Tusculanis de aqua Crabra vectigal pendam, quia a Municipio fundum accepi: si a Sylla mihi datus esset, Rulli lege non penderem*. Ceterum non sola Crabra Tusculanum suum irrigatum Cicero al-

2. Ep. 18. l. 16. Familiar.

allatis verbis commemorat, ſed aliis quoque, ante ipſius Crabræ illuc perductionem, ibidem jam deficientibus; ait enim, & ſi nimium quodammodo aquæ foret in ſua Tuſculana villa, optare ſe tamen ut etiam Crabra eodem perduceretur. Aquas igitur ante Crabram in Tuſculano Tullii manantes, e Tepulæ fontibus deductas fuiſſe, crediderunt ante nos illi, qui geminos inſcriptos lapides ponti huic loco proximo appoſuerunt. Tepula tamen milliario decimo Via Latina concipiebatur, ut ex Frontino 3. cognoſcimus. Porro, aquam Tepulam in eo loco ubi Collegium *Cryptæ Ferratæ* eſt, defluere nunc quoque monumenta, quamvis patrum memoria poſita, ad fontem & pontem *Li Squarciarelli* modo appellatum, ſic teſtantur, intra ejuſdem Collegii agrorum fines.

3. *De Aquæductibus.*

ALEXANDER CARD. FARNESIVS
AQVAM TEPVLAM
AD PVBLICVM VSVM
HOC EXTRVCTO VASE COLLEGIT
ANNO MDLVII

Cujus e regione alius in hæc verba lapis eſt poſitus.

CAROLVS BARBERINVS
CARD. ABBAS COMMENDATARIVS
AQVAM TEPVLAM ITERVM DILAPSAM
INSTAVRATIS AMPLIFICATIS AVCTIS DVCTIBVS
PVBLICAE VTILITATI ET PRIVATIS VSIBVS MONASTERII
ET AERARIAE COPIOSIOREM RESTITVIT
ANNO MDCLXXXVIII.

Quamquam utrique huic lapidi obstrepant illi, qui passus bis mille infra Cryptam Ferratam, Romam versus, Tepulæ fontes constituunt. Porro Crabra ad radices Albani montis concepta, ipsoque ex Albano Lacu erumpens, ita dicta est, quod *aspera quasi, & insuavis esset*; quasi *Scabra*. Eam in aquis perducendis Romam M. Agrippa omisit. Proinde, quod ejus judicio, aquæ ipsius bonitas, sive deductio, reprobata ac damnata fuisset; Crabræ etiam *Damnata* nomen factum est. quam *Juliam* quoque, non tamen *Tepulam* nominatam, legimus. Tanta vero fuit ex his aquis in Ciceronis Tusculano copia, ut *Nilum* eas appellare convenienti joco Tullius non dubitaverit, ad Atticum, & ad Q. Fratrem perscribens. Earumdem ingens nunc etiam memorato loco fluit copia, religiosorum virorum illorum usibus dispertita per claustra. Et ferri quoque atque æris proxime constitutis officinis; circa quas præcipitio delapsæ ad machinas ingentes volvendas aptissimæ fiunt. Unde, Tusculanum ibi Ciceronis fuisse, colligimus. Quod ex ibidem erutis pervetustis monumentis magis etiam confirmatur. Siquidem, elapso sæculo, in his hortis, prope fontem, vulgo *del Mascherone*, marmorea mensa detecta fuit palmorum viginti, in orbem protensa, in qua plurium fabulosorum numinum simulacra insculpta erant. Præcipue vero Martis, Mercurii, Veneris, atque Saturni. De qua mensa Tullium meminisse, ajunt, epistola ad M. Fa-

M. Fabium Gallum, 4. illam τραπεζοφόρον h. e. *mensiferum* appellando. Eodem pariter loco monumenta alia perplura antiqua fuere detecta. quæ omnia Romam ad Pamphiliæ villæ suburbanæ ornatum, Via Aurelia, juxta Sanctum Pancratium, translata, ibidem hodieque visuntur. Inter quæ statuam Mercurii simul & Minervæ, Græce idcirco *Hermathena* vocatam, in fundo pariter *Cryptæ Ferratæ* effossam, illam fuisse Antiquarii non temere crediderunt, de qua Cicero ad Atticum scripsit, e Formiano illam adduci in Tusculanum suum curavisse. 5. *Quod ad me de Hermathena scribis per mihi gratum est ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus Gymnasii*. Rursum haud ita procul a ponte, qui in confinio agri *Ferratensis* est, ad silvæ ingressum, dextro latere, prope antiqui sepulcri molem, marmorea signa duo pervetusta detecta sunt; quæ quamvis sine capitibus forent, in basi, tamen, alterum *M. Tullius Cicero*, alterum *M. Porcius Cato* inscriptum habebant. Duæ, præterea, statuæ, viri altera, & altera feminæ una cum tribus inscriptis lapidibus in hæc verba.

4. Lib. 7. ep. 24. Familiar.

5. Lib. 1. ep. 1.

DIS MANIBVS
SACRVM
HERBASIAE CLYMENES
SEX. HERBASIVS
NAVTILVS SIBI ET CONIVGI SVAE
SANCTISSIMAE FEC.
IN FR. P. XVIII. IN AGR. P. XVIII.

M. TVLL. CICERO
- - - - - - - - - - - - HARE . . . .
ET TVTERTIA
ANTECONIA
II.
IO. METEGENIO
VENALIC.
PACILIVS CERDO
VOTVM SOLVIT
- - - - - - - - - - - - SARE
AVG. IIII.
COSS. LENTVL. COSS. L.
F. COSS.
III.
C. I. CAESAR
M. TVLLIO CICERONI M. F.
ROMANAE FACVNDIAE PRINCIPI
QVAEST. AED. COS. PROCOS.
IMPERATORI
PP. ARPINATES

Quamquam tertius hic lapis pro mero figmento ab eruditioribus Criticis habeatur. Ibidem simulacrum pueruli perelegans erutum fuit una cum duabus mensulis egregia cælatura insculptis, quæ Romam, de more, translata sunt. In hortis denique circa Deiparæ sacram ædem, cælata alia tabula detecta fuit, quam muro exterioris atrii supra porticum insertam cernere est cum literis: *Conjicient Posteri quæ & quanta fuerint Tusculanam villam exornantia signa, mensæ, aliaque monumenta, quæ temporum injuria sublata, quæ Nuceriam a Friderico*

co

co II. translata, ex hac una Tabula, velut e naufragio relicta. Quam conservari curavit Franciscus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vice Cancellarius. Quamquam autem ex prolatis hactenus testimoniis abunde constare possit, locum *Cryptæ Ferratæ* sedem Tusculani Ciceronis extitisse. Idem nihilominus Eruditæ Antiquitatis vestigatores novis adhuc conjecturis confirmare, atque adeo clarius illustrare voluerunt. Etenim ajunt, octo illas columnas, quibus Deiparæ Sanctissimæ ea ædes nunc fulcitur, detectas fuisse a Conditore ejusdem sacræ ædis D. Bartholomeo Beati Nili junioris comite ac discipulo, & in suorum regimine, successore quarto; juxta locum, ubi olim erectæ, atque iterum constitutæ sunt. quas Tusculani Ciceronis porticibus inserviisse autumant. Non tamen de his columnis in Tusculana sua villa meminit Tullius ad Q. Fratrem: 6. *Villa mihi valde placuit; propterea quod summam dignitatem pavimenta porticus habebant. Quod mihi denique apparuit, posteaquam ipsa tota patet, & columnæ politæ sunt.* Paucisque interjectis: *Columnas*, inquit, *neque rectas neque e regione Diphilus collocarat. Eas scilicet demolietur. aliquando perpendiculo & linea discet uti. Omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore.* Non, inquam, hic sermo est Ciceroni de columnis villæ suæ Tusculanæ (ut nuperus scripsit Auctor) cum ex antecedentibus ac subsecutis verbis plane constet, eum de villa Q. Fratris sui, in Arcano, locutum. Fuit autem Arcanum circa Arpi-

6. *Lib. 3. n. 1.*

pinum, prope locum, crediderim, nunc etiam *Arci* appellatum; ex quo Soranorum Ducum Boncompagniæ Gentis generosissimæ filius primogenitus *Arcis Dux* vocari consuevit, vulgo *Duca d'Arci*, quod regionis ejus late sint domini. En Tullii verba proxime recitatis antecedentia: *In Arcano ad* IIII. *Idus Septembris fui*. Paucisque interjectis: *In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. Sed tamen nihil ei restabat præter balnearia, & ambulationem & aviarium. Villa mihi* ::: sequuntur cetera de columnis jam recitata. Postea vero subdit: *Ex eo loco* (scilicet ex Manliano Q. Fratris fundo in Arcano agro posito) *recta, Vitularia via, profecti sumus in Fufidianum fundum, quem tibi proximis nundinis Arpini de Fufidio* HS. CCCIↃↃↃ ∞ *emeramus*. Vocat autem eum fundum Q. Fratris *Manlianum* quia prius Manlii cujusdam fuerat. Quantopere autem Cicero Tusculana sua villa delectaretur, epistolæ ejus plurimæ, testimonio sunt; in quibus frequentissimam de Tusculano suo mentionem facit, laudatque illud summopere, significans sæpissime se in eo rusticatum. De quo, etiam plures ex iisdem epistolis ad amicos dedit. Præcipue vero libri primi ad Atticum quarta: *Quæ tibi mandavi*, inquit, *& quæ tu intelliges convenire nostro Tusculano, velim, ut scribis, cures, quod sine molestia tua facere poteris. nam nos ex omnibus molestiis & laboribus uno illo in loco conquiescimus, quo fratrem quotidie expectamus*. Et epistola subsequenti: *Nos Tusculano ita delectamur*, *ut*

ut nobismetipsis tunc denique, cum illo venimus, placeamus. Quare singulis fere libri ejusdem epistolis inculcat Attico, ut signa & ornamenta reliqua quamplurima ad Tusculani sui ornatum, præcipue vero Academiæ, Gymnasii, & Lycei ibidem extructi, dignitatem, procuret. Et alibi quidem: *Quare velim, ut scribis, ceteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes. Quæ mihi antea signa misisti, ea nondum vidi. In Formiano sunt: quo ego nunc proficisci cogitabam. Illa omnia in Tusculanum deportabo. Cajetam, si quando abundare cepero, ornabo*. Alibi vero: *L. Cincio* HS. CCIↃↃ. CCIↃↃ. CCCC. *pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras, curavi. Hermæ tui Pentelici, cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti, jam nunc admodum delectant. Quare velim, eos, & signa, & cetera, quæ tibi ejus loci* (Tusculani) *& nostri studii, & tuæ elegantiæ esse videbuntur, quamplurima, quamprimumque mittas; & maxime quæ tibi gymnasii xystique videbuntur esse. Nam in eo genere sic studio efferimur, ut abs te adjuvandi, ab aliis prope reprehendendi simus. Si Lentuli navis non erit, quo tibi placebit, imponito*. Et in epistola recitatam subsecuta: *Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer expecto. Quidquid ejusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere, & arcæ nostræ confidito. Genus hoc est voluptatis meæ: quæ γυμνασιώδη maxime sunt, ea quæro*: Ex quibus, aliisque in eandem sententiam sæpius repetitis, liquet, Tusculanum istud Ciceroni in deliciis fuisse quammaxime; il-

illudque signis pretiosissimis, ceteraque erudita Græcarum artium supellectile instructissimum. In quo præcipue Cicero Academiæ, Palæstræ, Gymnasii, Lycei, & Bibliothecæ, tanquam ornatissimorum, dilectissimorumque sibi locorum, meminit. De Lyceo quidem sic, primo de Divinatione: *Quibus de rebus* (de religione ac superstitione) *& alias sæpe, & paullo accuratius nuper, cum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. Nam, cum ambulandi caussa, in Lyceum venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est)*. Cetera. Bibliothecam autem selectissimis & copiosissimis libris instructam non uno loco innuit, eamque maxima ex parte ab Pomponio Attico, se procurasse. Ait enim ad illum, libri primi epistola tertia, ad calcem epistolæ: *Libros tuos conserva; & noli desperare, eos meos facere posse. Quod si assequor, supero Crassum divitiis, atque omnium vicos & prata contemno*. Quibus postremis verbis innuere videtur Tullius, Fundum suum Tusculanum neque spatiosum multum, neque pratis, & vicis copiosum fuisse, quemadmodum vicinorum suorum in eodem agro Tusculano, fundi erant; puta Porcii Catonis, cujus prata celebria erant loco, qui nunc quoque dicitur *Prata Porcii*; & L. Luculli, cujus latissima villa, quasi urbs esset, pluribus vicis distincta erat. Epistola autem quinta: *Tu, velim, ea, quæ nobis emisse, & parasse scribis, des operam, ut quamprimum habeamus: & velim cogites id, quod mihi pollicitus es, quemadmodum Bibliothecam nobis*

con-

conficere possis. Octava vero sic: *Signa nostra & Hermeraclas, ut scribis, cum commodissime poteris, velim imponas; &, si quod aliud* οἰκεῖον *ejus loci, quem non ignoras, reperies: & maxime quæ tibi palæstræ, gymnasiique, videbuntur esse. Etenim ibi sedens hæc ad te scribebam, ut me locus ipse admoneret. Præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere, & putealia sigillata duo. Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas; quamvis acrem amatorem inveneris. Nam ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem*. Nona denique: *tu, velim, quæ Academiæ nostræ parasti, quamprimum mittas. Mirum, quam illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat. Libros vero tuos cave cuiquam tradas: nobis eos, quemadmodum scribis, conserva. summum me eorum studium tenet, sicut odium jam ceterarum rerum*. Porro typi, de quibus superiore epistola meminit Tullius, non sunt imagines solum & simulacra, nec sigilla hominum; sed insculptæ etiam variarum rerum effigies, quarum distincta varietate in tectoriis delectabantur Veteres; ita ut variæ quadræ, & crustæ variis cælatæ speciebus viderentur, ex Turnebi sententia, cui accedimus. Quamvis eo loco Muretus pro *typis tubos* legerit. *Hermeraclæ* autem, quos eadem epistola commemorat, signa erant, Mercurii atque Herculis, uno trunco, facies hinc atque hinc referentia. Quod Græca ipsa vox significat. Ceterum Tusculanum hunc fundum L. Syllæ Dictatoris primo fuisse, de Plinio

7. Lib. 22. c. 6. cognovimus, ajente. 7. *Scripsit & Sylla Dictator, ab exercitu se quoque donatum* (corona graminea) *apud Nolam, Legatum bello Marsico. Idque etiam in villa sua Tusculana, quæ fuit postea Ciceronis, pinxit.* Eo fundo donatum Syllam ab exercitu, & ab Legione potissimum, quæ *Ferrata* dicebatur, nonnulli existimavere. Cujus Legionis de nomine, quod ea in Tusculano hoc fundo castra, sive stativa habuerit, præsens *Cryptæ Ferratæ* nomen loco impositum, autumant. Quod tamen vocabulum recentius multo exortum, nos credimus; infraque melius memorabimus. Porro, post Syllana tempora, Tusculana hæc villa cum suo fundo Tusculanis Municipibus, a quibus per militarem vim extorta fuerat, reddita est. Ab illis enim, se accepisse Cicero, disertis verbis significavit: *Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a Municipio fundum accepi.* Sunt nihilominus qui fundum a villa sejungant; dicantque, fundum quidem, solum nempe quærendis frugibus, ab Tusculanis Ciceronem accepisse; villam tamen, h. e. domum in fundo ædificatam, emisse Tullium ab Sylla quinquaginta millibus nummorum scutatorum Romanorum. iidemque hanc villam, cum Syllæ fuit, ab incendio servorum devastatam, ornamenta sestertium mille amisisse, tradiderunt. Quamquam autem villa esset ornatissima tunc quoque, cum ab Sylla possideretur; maximis tamen eruditis ornamentis ab Tullio auctam eamdem, ex ejus hactenus recitatis te-

testimoniis cognoscimus. Ac, præter statuas & signa, picturis etiam elegantibus undique circumvestitam fuisse eamdem, refert idem ipsius dominus. Siquidem epistola ad M. Fabium Gallum, quæ est Libri septimi ad Familiares nona, ita scribit: *Exedria quædam mihi nova sunt instituta in Porticula Tusculani: ea volebam tabellis ornare. Etenim siquid generis istiusmodi me delectat, pictura delectat.* Atque alibi, clarorum oratorum signis atque picturis Gymnasium suum Tusculanum ornatum, memorat. In hanc Tusculanam villam suam sese Tullius abdere, tum cetero vitæ tempore, tum eo præcipue, quando res Urbanæ & Publicæ non è sententia procederent, consuevit. Totos tunc dies in Tusculano abditus scribere. Testimonio sit inter ceteras Epistola ad Terentiam conjugem, quæ Libri quartidecimi Familiarium vigesima legitur, sic: *In Tusculanum nos venturos putamus aut nonis aut postridie. Ibi fac, ut sint omnia parata. Plures enim fortasse nobiscum erunt: & (ut arbitror) diutius ibi commorabimur. Labrum, si in Balneo non est, fac ut sit. Item cetera, quæ sunt ad victum & ad valetudinem necessaria. Vale.* IV. *Kalend. Octobr. De Venusino*. Certe Tusculano secessui præcipua ejus Opera, tum vero maxime Philosophica, quæ jam senex scripsit, accepta referre debemus. Et quamquam ad Atticum post mortem filiæ in Tusculano, rebus adhuc publicis diverso motu agitatis, de villa sua maritima in Littore Antiati ad Asturam memine-

 rit:

* Ep. 4. l. 14. rit: * *totos dies ſcribo in hac ſolitudine; careo omnium colloquio; cumque mane me in ſilvam abſtruſi, denſam & aſperam; non exeo inde ante veſperum*, & infra: *nunc omnia reſpuo; nec quicquam habeo tolerabilius, quam ſolitudinem*: & in Tuſculanum redire diu refugerit, locum filiæ funus ſibi referentem; victum tamen denique Tuſculani ipſius amore ſe ſe fatetur; & eodem regreſſum, animum reſpuentem ut ipſe ait, contudiſſe.

Ceterum cum Cicero plura ſcripſerit in Tuſculano; omniaque Cicerone digna; æternum nihilominus nomen, ac perpetuam famam & celebritatem loco peperit, Philoſophicis illis quinque Quæſtionibus, ſive Diſſertationibus, quas, de loco ipſo, *Tuſculanas* appellavit. Eæ enim, doctorum Virorum omnium conſenſu, a ſapiente demum, non tantum ab eloquente, conſcriptæ perſpiciuntur. I. Earum ſublimia hæc argumenta. *De contemnenda morte*. II. *De tolerando dolore*. III. *De ægritudine lenienda*. IV. *De reliquis animi perturbationibus*. V. *Virtutem ad beate vivendum ſe ipſa eſſe contentam*. In quibus omnibus, ſententias Chriſtiano Philoſopho digniſſimas Tullius protulit; Chriſtianæque diſciplinæ, licet profanus, & ſacrorum noſtrorum expers, acceſſit tamen quam qui maxime. Tuſculanas autem haſce quæſtiones in ea Tuſculani ſui parte, quæ *Academia* dicebatur, ipſe habitas refert. quæ aula fuit plantationibus viridantibus circumſita, Athenienſis inſtar Academiæ, de Academi do-

domini nomine ſic appellatæ. Ait enim Tullius in tertia ſua Tuſculana. *De maximis autem rebus nihil fere intermiſimus poſtea, nec diſputare, nec ſcribere. his autem libris expoſita ſunt ea, quæ a nobis cum familiaribus noſtris* in Tuſculano *erant diſputata. Sed quoniam duobus ſuperioribus, de morte, & de dolore dictum eſt; tertius dies diſputationis hoc tertium volumen efficiet. Ut enim in Academiam noſtram deſcendimus, inclinato jam in poſtmeridianum tempus die; popoſci eorum aliquem, qui aderant, cauſſam diſſerendi. tum res ſic acta eſt. A. videtnr mihi cadere in ſapientem ægritudo.* cetera. Profecto in his libris complexum ſe Cicero, ea omnia, quæ ad bene vivendum neceſſaria ſunt, ipſe poſtmodum teſtatus eſt. Siquidem ſecundo *de Divinatione*, poſtquam quinque libros *de Finibus*, eorumque argumentum commemoravit; *ſubſecuti*, inquit, *totidem libri Tuſculanarum Diſputationum, res ad bene vivendum maxime neceſſarias aperuerunt.*

Attamen dilectum ſibi Tuſculanum cum reliquis, quæ plura habuit alibi, cumque ipſa patria & domo Palatina, amiſit Tullius; cum ab furore & factione Publii Clodii ſolum vertere coactus eſt. Tunc enim Clodius bona Ciceronis ad haſtam publicavit; domum urbanam in Palatio, ſolo æquavit; villas incendit; & in his potiſſimum Tuſculanam ornatiſſimam fœde diripuit, atque corrupit. Cicero, nihilominus, brevi Romam, totius Italiæ, ut ipſe ait, humeris reportatus, aream domus urbanæ, ſumptuſque ad reædificandum, de publico

re-

recepit; villas quoque cum prædiis, ac Tusculanam in primis, recuperavit. proque illatis a Clodio damnis, pecuniæ quoque certam summam, a Reipublicæ Ærario constitutam, accepit. Quamvis non eam, quæ illata damna compensaret omnino. De hoc ipse ad Atticum: 8. *Consules Tusculanam villam quingentis sestertium millibus æstimarunt. quæ æstimatio non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehenditur.* Ex quo Tusculani ipsius magnificentiam quandam æstimare nos possumus, cui sestertium quingenta millia exiguum pretium foret constitutum. neque id quidem pro toto fundo, verum pro damnis reparandis a Clodio illatis. Villam vero restituit quidem postea Tullius, non tamen in pristinam dignitatem; quod pristinas opes nunquam recuperaverit; neque pennas, quas illi inimici inciderant, eas renasci ad plenum iidem unquam passi sint. Ambulantiunculam tectam inibi construi curavisse commemorat; quod jam in senium vergens aperto aere minus uteretur; eamdemque in alia quoque sua villa, ut extrueretur, Attico sic commendavit; fortasse Lanuvii scribens, aut certe de villa sua Lanuvina locutus 9.: *Tecta igitur ambulatiuncula addenda est. quam ut tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, prope dimidio minori constabit isto loco.* Absolvisse denique Tusculani sui restitutionem, saltem quod pertinebat ad ædificium, videtur. Et tamen civilibus motibus Cæsaris atque Pompeii, mox Bruti, & Cassii, ac Trium-

8. *Lib. 3. ep 1.*

9. *Lib. 13. n. 38.*

Triumvirorum, Rempublicam affligentibus, & devaſtantibus, Cicero Tuſculana aliquandiu ruſticatione abſtinuit; quod nimis propinquus Urbi eſſet locus. Itaque ſe Tuſculanum proſcripſiſſe ajebat. & ipſi Attico 10. *Ego*, inquit, *in Tuſculanum? nihil ſane hoc tempore. devium eſt* τοῖς ἀπαντῶσιν, *& habet alia* δύσχρηστα. Itaque perſæpe manebat Aſturæ in villa ſua; cui nihilominus Tuſculanam ruſticationem prætuliſſe fatetur 11. *Narro tibi; hæc loca venuſta ſunt; abdita certe; & ſi quid ſcribere velis, ab arbitris libera. Sed neſcio quomodo* οἶκος φίλος. *itaque me referunt pedes in Tuſculanum. & tamen hæc* τοπογραφία *ripulæ videtur habitura celerem ſatietatem. Equidem etiam pluvias metuo, ſi prognoſtica noſtra vera ſunt. ranæ enim* ῥητορεύουσιν. Victumque deſiderio loci, conſtat, extremis vitæ annis Tuſculanum iterum frequentaſſe; ſiquidem de eo loco plures ad Atticum dedit epiſtolas; quæ in libris a duodecimo & deinceps leguntur. Cumque a Cæſare ſibi primum, mox ab Antonio metueret, 12. *Equidem*, inquit, *vereor maxime ne in Tuſculano opprimar. in turba hæc eſſent faciliora; utrum igitur Aſturæ? quid ſi Cæſar ſubito? juva me, quæſo, conſilio: utar eo, quod tu decreveris.* & ad Papirium Pætum epiſtola libri noni Familiarium decimaſeptima, *Vejentem quidem*, inquit, *agrum & Capenatem metiuntur. Hic non longe abeſt a Tuſculano. nihil tamen timeo. fruor, dum licet: opto ut ſemper liceat.* Non ignoramus, Tullium Hortos & alibi, præterquam prope Tuſculanum ſuum, quæſiviſſe

10. Ep. 5. l. 7.

11. Lib. 15. n. 33.

12. Lib. 13. n. 52.

viſſe comparandos, ut ex aliis ad eundem Atticum epiſtolis colligitur; præcipue vero ſuburbanos regione Tranſtiberina, & Via Oſtienſi, in quibus Tulliolæ filiæ, tanquam novæ Deæ Fanum excitaret; cum celebritatem, & frequentiam loci maxime quæreret. quæ non ſatis apta videbatur, circa villas, aut Formianam, aut Arpinatem, aut Tuſculanam. Certum nihilominus eſt Ciceronem Hortos, non tantum ad hoc, verum etiam ob deambulandum & apricandum animi cauſſa, emere voluiſſe, *ne*, ut ipſe ait, *totum diem in villa*. ſive ut Manutius interpretatur, ne totum diem ſemper inſumeret eundo in villam. Hæc itaque Tuſculani Ciceronis celebritas. Cujus ſubſtructionum vetuſtiſſimarum veſtigia, licet exigua, quædam tamen apparent, in vallem deſcendentibus, & ſpeluncas, juxta Crabræ, aliarumque aquarum confluentium & defluentium rivum, nomine *La Marana*. ibi enim ædificii opere reticulato conſtructi rudera cernuntur; quæ porticus, forte, circa, villam ambientes olim ſuſtentabant.

Porro Ciceronis Tuſculanum (quod rerum omnium eſt) nunc prece, nunc precio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema, permutavit dominos quamplurimos, & in altera tranſivit jura ſæpiſſime, annis volventibus. Donec undecimo Chriſti Reparatoris ſæculo, circa initium, viris ſanctiſſimis Nilo Juniori, & Bartholomæo ejus Collegæ, Beati Baſilii Magni aſſeclis, Tuſculanum idem a Comitibus ur-

bis

bis Tuſculi dominis, cujus in ditione erat, attributum fuit. A quibus Collegium, & Deiparæ miraculis inſigni effigie aucta, ſacra Ædes, non ſine cœleſti virtute ac monitu, in ruinis veteris Villæ, deque ejus cœmentis, conſtructa ſunt. Hodieque tantorum virorum poſteri ſumma pietate, morumque optimis inſtitutis, locum eumdem colunt religioſiſſime. Huic nomen *La Badia di Grotta Ferrata*, vel *La Madonna di Grotta Ferrata*. quod non ab una origine alii aliter derivatum vocabulum prodidere. Nonnulli enim, ut ajebam, id a Legione *Ferrata*, quæ temporibus L. Syllæ locum incoluerit in ſubterraneis ſpeluncis, quas Græci κρύπτας *Cryptas*, ſcilicet *abſconditas*, ſive *abſcondita loca* nominant, vocabulum deſumtum, credidere. Quod tamen mihi minus probandum videtur. Nullum enim hujus nominis villæ ſuæ apud Tullium veſtigium legimus; cum altero quoque verbo in epiſtolis ad Atticum illam ceteroquin nominet. Alii, itaque, melius id nomen a ſpeluncis, & ſubterraneis cavernis, partim intra viſcera terræ excavatis a natura, partim ab arte de ſubſtructionum reliquiis, quas Itali, dicimus *Grotte*, primam ſui nominis partem, hunc locum adeptum, autumant. alteram vero *Ferratæ* ab ferri officinis; quaſi Tabernis Ferratis, quibus idem locus inſtructus fuit, ex opportunitate aquarum eo defluentium, deſumſiſſe, exiſtimant. Certe nunc quoque cavernas plures videmus hujuſmodi, circa locum; & una adhuc Ferraria ſive Ferrata

officina subest, in qua ferri ærisque opera varia exercentur, & elaborantur. Huic tamen sententiæ adversari videtur nominis singularitas. Cur enim, si ab pluribus cavernis, pluribusque ferratis officinis, locus nomen desumsit, non potius *Le Grotte Ferrate*, quam *Grotta Ferrata* appellatus est? Itaque rem acu tangere melius adhuc alii censent, si dixerint, id nomen, ex quadam peculiari ac singulari caverna sive *Crypta* desumtum, in qua Deiparæ effigies vetustissima, prodigiis illustris, a Beatis Nilo & Bartholomæo, circa undecimi sæculi principia constituta fuit, cœlesti monitu. quæ ibi deinde sub *Ferrata Crate* exposita colebatur. Atque ita, tenuissima derivatione & inflexione, ex Latino nomine *Sancta Maria de Crate Ferrata*, ortum existimant præsens vernaculum *Sancta Maria de* (more Romano recenti, pro *di* Etrusco) *Grotta Ferrata*. Alii denique, quod *ferratas portas* locus habuerit deterioribus sæculis. munitum enim fuisse, castri instar, mœnibus, ac fossa circumdatum, cernimus. Et hæc sane de Tusculano Ciceronis hactenus. Nunc ad alias Tusculani agri celeberrimas villas lustrandas vestigatio procedat.

Atque hic quidem primo attexendæ sunt Tusculanæ villæ clarissimorum illorum virorum, quibuscum Ciceroni amicitia, & studiorum ac literarum commercia intercessere. Quos inter, quis Q. Ciceroni Marci fratri primum merito locum non tribuerit? Hic itaque Villam in Tusculano, ab

ea,

ea, quæ Marci fratris fuit, aliam habuisse videtur. siquidem Tullius Attico, *Q. Frater*, inquit, *qui Argiletani ædificii reliquum dodrantem emit* HS. DCCXXV. *Tusculanum venditat*; 13. *ut si possit, emat Pacilianam domum*. Tiro pariter Libertus Ciceronis, *a manu*, cujus ingeniosum inventum concisæ scribendi quædam notæ circumferuntur, Villam habuisse in Tusculano, patroni sui fortasse munus, ac prope ipsius Tullii ædes 14. perhibetur. Titi vero Pomponii Attici, & M. Bruti Tusculana rura his Tullii verbis commemorari videntur 15.: *Brutus heri venit in Tusculanum hora decima. hodie igitur me videbit; ac vellem, cum tu adesses*; & rursum alibi Attico pariter Tullius de Bruto 16. scribens. *Posthac poterimus commodius colere inter nos in Tusculano. Hoc autem tempore cum ille me quotidie videre vellet; ego ad illum ire non possem; privabatur omni delectatione Tusculani*. Tusculanum idem Bruti nominat Cicero in libro *de Oratore* ad ipsum Brutum inscripto, atque alibi fortasse non semel. Sed & L. Lucejus Ciceronis perfamiliaris, idemque Historiarum egregius Scriptor, a quo res gestas suas scribi Tullius, atque omni quidem cum dignitate & commendatione postulavit, rus in Tusculano habuisse, de ipsius Tullii ad illum epistola 17. perspicitur. Et Q. Hortensius celeberrimus Orator, Tullii æmulus, qui teste Plinio 18. tabulam, ingenti summa coemtam, in qua Cydias nobilis Pictor Argonautas depinxerat, in Tusculano suo collocavit: utque ejus perenni-

13. *Ep. 13. l. 1.*

14. *Ligor. v.* Tirone.

15. *L. 13. n. 8. ep. ad Attic.*

16. *Eod. lib. n. 12.*

17. *Famil. l. 5.* L. Lucejo.

18. *L. 35. c. 11.*

nitati & celebritati consuleret; ædem eidem singularem extruxit. Et M. Terentius Varro, qui de Lingua Latina & de Re Rustica libros scripsit.

19. Famil.l.9. ep.6. Huic Cicero 19.: *Equidem hos tuos Tusculanenses dies instar esse victoriæ puto; libenterque omnibus omnes opes concesserim, ut mihi liceat vi nulla interpellante, isto modo vivere. Quod nos quoque imitamur, & in nostris studiis libentissime conquiescimus.* Titus etiam Anitius,

20. L.3.n.15. de quo Tullius ad Q. fratrem 20.: *Titus Anitius .... nihil te recordari de se, de epistolis illis, quas in Tusculano ejus mihi ostendisti*. Et Crassus; de cujus Tusculano meminit Tullius libro epistolarum ad Atticum quarto. Num vero etiam Marcus Honerius? cujus incisum nomen vetusto lapidi, in loco Tusculani Ciceronis adhuc extanti sic legit Lupius M. HONERIO? Tum omnium maxime M. Porcius Cato junior, sive Uticensis, qui cultissima in Tusculano habuit latifundia, quæ a majoribus suis Tusculanis, Catone præcipue illo Censorino, hereditaria successione possidebat. De quo tamen, ejusque Gente alibi seorsim fuse dicemus. Hic L. Luculli junioris L. filii Tutor in Tusculano Luculli patris versans cum Lucullo puero memoratur a Tullio. Sed jam hæc & reliqua L. Luculli in Tusculano villarum magnificentissimarum monumenta peculiari narratione exhinc illustremus.

CA-

CAPUT IV.

De Tuſculanis L. Luculli & Sergii Galbæ Villis.



UÆ Tuſculanum agrum maxime celebrem reddidere, Lucii Luculli fuerunt Deliciæ. Hic enim Villam, ſeu potius Villas, in hoc agro habuit, florentiſſimæ inſtar urbis ornatas, vaſtiſſimaque ſpatia occupantes. Siquidem ſunt qui tradant, decimum ferme milliare agrum Lucullanum in gyrum ſeſe extendiſſe; quem tamen ædificiis utplurimum occupatum fuiſſe, novimus, ad delicias; cum, Plinii teſtimonio, [1] Cenſores de illo protulerint, quod plus ſpatii in eo verrendum eſſet, quam arandum. Itaque non male Kircherius, Luculli villas, & magnificentiſſimas pro diverſi generis deliciis extructas ædes, occupaſſe, crediderit hæc agri Tuſculani loca, *Le Grotte del Centrone*, alio vocabulo *Grotte di Lucullo*; *il Luogo nuovo*; *Villa Teſti*; *Villa Rocci*, *La Ludoviſia*; *Fraſcati*; *La Falconeria*; *il Barco di Borgheſe*; *Cocciano*; aliaque permulta, ad Anienem uſque. Quod, quamquam incredibile videatur; ex Frontino tamen veteri Scriptore, id erui, & confirmari, facile poteſt. Namque Sextus Julius Frontinus, Aquarum Curator ab Imperatore Nerva conſtitutus, in ſuo de Aquæductibus Commentario, Lucullanum Agrum circa urbem Tuſculum latiſſime porrectum fuiſſe, com-

1. *Lib.* 18. *c.* 6.

commemorat; utpote qui ad Vias usque Collatinam, Prænestinam, atque Latinam, pertingeret. ait enim de Appia ab Appio Claudio in Urbem perducta 2.: *Concipitur Appia in Agro Lucullano, Via Prænestina, inter milliarium septimum & octavum, diverticulo sinistrorum passuum* DCCLXXX. Rursum de Tepula locutus, sic 3.: *Cn. Servilius Cæpio, & L.Cassius Longinus, qui Ravilla appellatus est, Censores, anno post Urbem Conditam* DCXXVII. *M.Plautio Hypsæo, Fulvio Flacco Coss. aquam, quæ vocatur Tepula, ex Agro Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt, Romam, & in Capitolium adducendam, curaverunt. Tepula concipitur Via Latina ad* X. *milliarium; diverticulo euntibus ab Roma dextrorsus millium passuum* II. *atque inde rivo suo in Urbem perducebatur*. Demum de Aqua Virgine idem auctor inquit 4.: *Virginem quoque, in Agro Lucullano collectam, Romam perduxit* (M. Agrippa). Et paucis interjectis, subdit Frontinus: *Concipitur ergo* (Aqua Virgo) *Via Collatia ad milliarium octavum palustribus locis*. Ex quibus Frontini perspicuis satis testimoniis recte colligit vir clarissimus & eruditissimus Joannes Polenus, in suis accuratissimis ad Frontinum Notis 5., Lucullanum Agrum circa Tusculum fuisse latissimum; nempe tria millia passuum longitudinis; latitudinis vero, saltem spatio inter Vias Collatinam atque Latinam extenso; quod plurium pariter milliariorum fuisse, constat. Neque his obstat; in aliquo locorum, in quibus Luculli villas sese extendisse, di-

2. *Art.* 5.

3. *Artic.* 8.

4. *Art.* 10.

5. P. 37. not. 5. edit. Patav.

dicimus, aliorum quoque monumenta reperta fuisse. Potuerunt enim & in Luculli villa statuæ, aliaque id genus, cum inscriptis lapidibus, constitui claris viris; præsertim in Lucullano, quod, signis & statuis ditissimum ac frequentissimum fuisse, cognovimus. Vel etiam, post Lucullum, locus, qui unius fuerat domini, pluribus villis & fundis areas exhibuit. quarum monumenta identidem excavata, eum tamen antea Lucullani agri partem, locum fuisse, minime impediunt. Ceterum, quod Frontinus ait, Lucullanum Agrum ab quibusdam creditum Tusculanum, id sibi velle, judicaverim; ab Lucullo suis ædificiis Tusculani Municipii proprium agrum occupatum, quem ab ipso Municipio fortasse coemerat; ac pro *Tusculano*, *Lucullanum* jam de domini celebritate solum vocabatur. Vel certe Lucullanas Delicias, præter Tusculanum, aliorum etiam agrorum partem occupasse, puta, Collatini, Prænestini, Albani, Romani, Tiburtini; cum tamen ex potissima earum parte, omnes in Tusculano Agro positæ dicerentur. Villam igitur L. Luculli Tusculanam in ædificiis utplurimum magnificentissimis constitutam, agri colendi, licet spatiosissimam, ferme nihil habuisse, Columella, & Plinius ex Varrone meminere. Ait enim L. Junius Moderatus Columella, in Libris de Re Rustica, ex Varrone 6.: *Multos deerrasse memoria prodidit, sicut præstantissimos viros L. Lucullum & Q. Scævolam. quorum alter majores, alter minus amplas, quam postulavit modus agri, villas extruxit; cum utrum-*

6. Lib. 1. c. 4.

que

que ſit contra rem familiarem. Plinius vero de villarum poſitione, & agro, juxta præcepta Veterum, colendo, agens, iiſdem fere Varronis & Columel-
7. Lib 18. c.6. læ verbis 7. *Modus*, inquit, *hic probatur, ut neque fundus villam quærat, neque villa fundum. Non, ut fecerunt, juxta diverſis, eadem ætate, exemplis, L. Lucullus & Q. Scævola, cum villa Scævolæ fundus careret, villa Luculli agro. Quo in genere Cenſoria caſtigatio erat, minus arare, quam verrere*. Itaque Lucius Licinius Lucullus, Romana Patritia Gente Licinia exortus, Græcis Latiniſque literis affatim eruditus, cum ex Aſia, Mithridate ac Tigrane devictis regibus, ac triumphatis, glorioſiſſimiſque rebus geſtis, ingentem, ſupra quam credi poteſt, divitiarum vim, Romam reportaſſet; jam ſenex factus, privatæ vitæ ocio ac deliciis, totum ſeſe tradidit; ædeſque magnificentiſſimas & copioſiſſimas in Tuſculano, *Urbanæ villæ* nomine, extruxit. In quibus hæ potiſſimum partes celeberrimæ fuerunt. Cœnationes excelſæ, longinquiſſimique proſpectus; Aulæ vaſtiſſimæ; Xyſti; Pynacothecæ; Bibliothecæ; Thermæ, Theatra, Palæſtræ, earumque ſupellex univerſa. Vivaria & Piſcinæ; Ornithones; Beſtiaria diverſi generis; Ergaſtula pro ſervis; aliaque deliciarum exquiſitiſſimarum loca quamplurima. Quamvis enim contra Puteolos aliam, eamque magnificam, & piſcinarum præcipue fama celebrem villam haberet; aliam quoque, ut fama eſt, circa Circeii Promontorii radices, ad Lacum Circejenſem, nunc *di Santa Maria di Surreſca*,

ſca, ubi quamplurima adhuc *Deliciarum Luculli* cernuntur veſtigia: Tuſculana, nihilominus, ſenex factus, propter Urbis propinquitatem, potiſſimum delectabatur; in eaque maxime ornanda totus fuit. De illo ſic Plutarchus in vita: *At Craſſus & Pompejus irridebant Lucullum, qui deliciis ſeſe totum tradiderat, perinde ac ſi tanti viri ætas jam grandis ad regimen Reipublicæ, atque armorum, inepta, ocium magis & voluptates expeteret. Vere enim Luculli vita veterem comœdiam repræſentavit. in qua priores partes labores ejus pro Republica, belli, toleratos & exhauſtos continent; at poſtremæ conviviis cœniſque plenæ ſunt. neque in iis aliud ferme quam comiſſationes, accenſæ faces, & omnia ludo ac deliciis referta cernuntur. inter quæ voluptuoſa, merito etiam computamus ſumtuoſa ædificia, deambulationes, thermas: picturas præterea & ſigna, & incredibiles in his artibus comparandis factos ſumtus. Conſuevit enim abſque modo eas pecunias, quas copioſiſſimas ex Aſiaticis bellis retulerat, in omne voluptatis genus diſſipare. Cujus rei evidentiſſimum in hanc uſque diem argumentum eſt, quod Horti Lucullani, reliquos inter Cæſarum omnes, pretioſiſſimi, & deliciarum cujuſque generis omnium copioſiſſimi exiſtimentur. Tubero quoque Stoicus, cum ingentia ea ædificia vidiſſet, quæ Lucullus ad mare contra Puteolos extruxerat, & colles, qui, excavato ſubtus, ſolo ab radicibus uſque pendere videbantur aerii, fluxuſque admiſſi maris intra excavatos cuniculos, vaſtiſſimaſque piſcinas, quæ villam cingebant undique, & ipſas ædes aqua marina allutas, Lucullum*

Xerſem togatum nominavit. ALIAS QUOQUE ÆDES HABEBAT EXCELSAS IN TUSCULANO ET VASTISSIMAS, *de quibus, tanquam de ſpecula omnem circa regionem proſpiciebat, cum cœnationibus, xyſtis, & ſubdialibus ambulationibus plurimis. Huc cum veniſſet aliquando Pompejus, Lucullum reprehendit, quod eas ædes pro æſtivo tantum tempore conſtruxiſſet, ita ut per hyemem inhabitabiles redderentur. Cui ſubridens Lucullus reſpondiſſe fertur: numquid videor tibi gruibus atque ciconiis minus ſapere, ut juxta diverſum anni tempus, locum quoque mutare non poſſim? Prætori, qui ſplendidiſſimum ſpectaculum edere vehementer optabat, petenti chlamydes aliquot ut Chorum ornaret, reſpondit, viſurum, num tot domi haberet, miſſurumque, ſi habuiſſet, quot forent opus. altera vero die cum ab eo Lucullus petiiſſet, quot demum chlamydes commodatas vellet; & Prætor, centum ſibi ſatis fore affirmaret; ut ducentas acciperet, Lucullus coegit*. quod pulcherrime ſic Horatius: 8. *Chlamydes Lucullus, ut ajunt,*

8. Ep. 6. Lib. 1.

Si poſſet centum ſcenæ præbere rogatus,
Qui poſſum tot? ait. tamen & quæram; & quot habebo,
Mittam. poſt paullo ſcribit, ſibi millia quinque
Eſſe domi chlamydum. partem, vel tolleret omnes.
Exilis domus eſt, ubi non & multa ſuperſunt,
Et dominum fallunt, & proſunt furibus.

In cœnis, quas quotidie Lucullus in villa ſua Tuſculana amicis quibuslibet inſtruebat, novi ſemper apparatus ſpecies videbatur ſumptuoſiſſimi; neque ſolum purpurea ſtragula & toralia, pate-

teræque, & crateræ, gemmis onustæ; choragia delicatorum frequentissima; verum omne genus ciborum & deliciarum, abs terra, aere, aquis, igne, conquisitum, rarissimoque artificio præparatum. Totque tamque variis gulæ irritamentis conditum, ut unum demum Lucullum beatum, de vulgo passim homines prædicarent. Qua luxuriandi consuetudine non tantum delectari, verum etiam gloriari solitum fuisse Lucullum, ferunt. Cum enim ex Græcia quidam hospites ad eum venissent, eosque lautissime de more excepisset, dies aliquot; hi demum Romæ quidem adhuc subsistentes, Luculli tamen cœnas jam amplius non frequentabant; veriti, ne nimiis fortasse illum sumtibus aggravarent. Quos Lucullus in Foro sibi casu obvios factos, eccur hospitium atque hospitem deseruissent? interpellavit. Cui cum Græci caussam, ut erat, modeste retulissent; atqui, Lucullus, inquit, aliquid quidem in cœnis exhibitis ad consuetum pro vobis addebam; plurimum tamen atque potissimum, quotidiana Luculli, proque Lucullo, cœna fuit. Cui simile quid servis retulit, cum forte, præter morem, semel solus cœnaret. Cum enim mensam solita copia consuetisque deliciis instructam non videret; accito prægustatore; ecquid hoc, inquit, sordium est, atque avaritiæ in domo Luculli? Cumque, hospitum ille absentiam caussaret; nesciebas, reposuit Lucullus, nesciebas; inquam, Lucullum hodie cum Lucullo conviva-

turum? Jam vero cum tota jam urbe rumor iste de cœnis Lucullanis in Tusculano, volitaret; Cicero & Pompejus Luculli pernecessarii, periculum facturi, num vera hæc deliciarum ejus fama esset, viso forte Lucullo sedente circa forum ocioso, habere se aliquid negotii, de quo remotis illum arbitris alloquerentur, simulavere. Itaque seorsim abductum de cœna interpellarunt: verum his conditionibus, ut quam sibi uni quotidiano domestico sumtu apponere consuesset, eam, ne minimum quidem auctam, ipsis apponeret. Lucullus excusare primo, quod sese imparatum invasissent; orare, ut servis saltem quid opus facto foret, imperandi sibi copia fieret. Cumque nihil horum ab amicis impetrasset; fiet jam, inquit, quod voluistis; esurietis hodie simul cum Lucullo; adductosque Ciceronem & Pompejum in villam suam, cum nihil aliud servis edixisset, quam, *in Apolline se cœnaturum ea nocte*, ducentorum sestertium cœna excepit, quæ quotidianus Luculli unius sumtus esse consueverat. Cœnationes enim permultas cum haberet; suum unicuique nomen tribuerat; taxatique erant sumtus, qui in earum singulis fieri debebant. Cumque *Apollinis* cœnatio ex ditissimis esset; uno illo verbo, Lucullus amicos fefellit. Quos lautissime ac delicatissime non imparatus, ut illi tamen putaverant, tractavit. Has Luculli cœnationes eo loco fuisse, crediderim, in agro Tusculano, ubi nunc *Villa Ludovisia* conspicitur. Siqui-

quidem ibi ingentes adhuc areæ ad vaſtiſſimas magnificentiſſimaſque ſuſtentandas ædes complanatæ viſuntur; extantque in ipſius villæ aditu non obſcura veterum ædificiorum veſtigia. Cellas dico decem & octo, quadratas & cameratas; quarum parietes ſilice, in retis figuram diſpoſito, compacti ſunt. Quarum altitudo palmorum quindecim, latitudo quatuordecim, longitudo vero decem & octo deprehenſa eſt. Muri autem inter ſingulas diviſorii latitudo palmorum ſeptem & ſemis. Itaque, ſubſtructiones has fuiſſe, autumo, ingentium illarum Luculli cœnationum, xyſtorum etiam, longiſſimarumque ſubdialium ambulationum, & geſtationum, quibus eam villam ornatiſſimam fuiſſe, ſcimus. Præcipue cum, ex Kircherii teſtimonio, patrum memoria, lapis circa eum locum effoſſus fuerit, cum literis grandioribus

L. LVCVL L. F.

Porro, cellas ipſas ſervorum ſolutorum uſibus inſerviſſe, exiſtimo; non Veteris Tuſculi tabernas fuiſſe, ut quidam; cum Tuſculum in Tuſculano monte ſitum longe hinc abeſſet. Illud, & antiquitus, & per hæc tempora mirabile quidem, quod in convexa fornicum ſuperficie, has ſupra cellas, ubi vel nullus vel exiguus certe inter cœmenta humor eſſe poteſt, ſponte adnatæ ſuſpiciuntur miræ ſublimitatis & craſſitiei ilices, quales tam proceras rarum videre ſit; quæ in commiſſuris lapidum, multa jam ſæcula, ſtabiles radices poſuere. In area ve-

vero, juxta has ilices, marmorea antiqua menſa alienis fulcris ſuſtentata cernitur; ovata figura; in cujus gyro ad latera varii luſus antiquo elegantiſſimo opere inſculpti ſunt; cupidinum ſcilicet alatorum, diverſorum animalium currus trahentium, dormientium puellarum, aliorumque. Quam Luculli forte cœnationes exornaſſe haud inveriſimile fuerit. De cœnationibus & tricliniis Luculli ſic

9. RR. l. 1. c. 13. Varro meminit: 9. *Nunc contra, Villam Vrbanam quammaximam & politiſſimam habeant, dant operam; ac cum Metelli ac Luculli villis peſſimo publico ædificatis certant. Quo hi laborant, ut ſpectent ſua æſtiva triclinia-ria ad frigus Orientis, hiberna ad ſolem Occidentem; potius quam, ut antiqui, in quam partem cellavinaria aut olearia feneſtras haberet.*

Harum cœnationum alicui contiguum fuiſſe videtur Aviarium, quod Græci, & Græca voce Latini, *Ornithona* nominaverunt. In hoc Lucullus altiles plurium ſpecierum delicatas aves, magno ædificio conſtructo, ſuis quaſque diſtinctas ſpatiis concluſas habuit. Utque ex Varrone colligimus, non gallinas modo domeſticas, anates, atque anſeres, verum, Numidicas, Pavones, Phaſianos, Attagenas, ac turdorum præcipue, quibus regnum in aves ceteras gula conceſſit, Martiali judi-

10. RR. l. 3. c. 4. ce, vim pene immenſam. De illo ſic Varro: 10. *Duo ſunt ornithonis genera. Vnum delectationis cauſſa....... alterum fructus...... Ex his tertii generis voluit eſſe Lucullus conjunctum, Aviarum quod fecit in Tu-*

Tuſculano ; ut in eodem tecto ornithonis incluſum triclinium haberet, ubi delicate cœnitaret ; & alios videret in mazonomo poſitos coctos, alios volitare circum feneſtras captos. De turdis hic præcipue Varro loquebatur. De quibus a Lucullo ſervatis quovis anni tempore id legimus apud Plutarchum : 11. Cum æſtate quadam Pompejus adverſa oppreſſus valetudine decubuiſſet ; nauſeantique medicus, ut turdis languentem excitaret ſtomachum, præcepiſſet ; ſervi nullo in macello venales invenerunt. Quare id Pompejo nuntiarunt, addentes ſimul, in Tuſculano Luculli aviario altiles turdos permultos nutriri. Quibus tamen Pompejus, ne Lucullum de turdis interpellarent, interdixit ; illud ſevere effatus : ſi ergo Lucullus non luxuriaretur, Pompejus vivere non poſſet ? alioque parabiliori cibo nauſeam medicatus eſt. Ceterum, quamvis Luculli aviarium magno ædificio conſtructum eſſet ; Varro tamen, ex ipſius confeſſione, 12. in villa ſua ſub Caſino, cujus adhuc veſtigia permulta ſuperant, habuit ornithonem, quo non ſolum vicit M. Lænium Strabonem harum deliciarum inventorem, ſed etiam in Tuſculano, Luculli, licet magno ædificio circumdatum.

11. *In Lucullo.*

12. *RR. l. 3.*

Beſtiarium Luculli, ſive ſeptum ad beſtias alendas, quod etiam *Vivarium* Columella appellavit, (quamquam vivarium, de Piſcium ſepto melius diceretur apud aurei ſæculi Latinos Scriptores,) Beſtiarium, inquam Luculli, circa eam Tuſculani agri partem fuiſſe extenſum, crediderim, in qua mo-

modo veterum ædificiorum substructiones subterraneæ visuntur, circa Rocciorum villam, vulgo *i Centroni*, aut eruditius: *Le Grotte di Lucullo*. Ibi enim proximæ silvæ nunc quoque satæ sunt, & antiquitus satas fuisse, ex iis, quæ de Tusculano proximo Ciceronis memoravimus, plane cognosci potest. Siquidem bestiarios servos in iis substructionibus, quæ adhuc extant, habitasse vinctos, existimo; vix enim non ergastula mancipiorum eadem fuisse quisquam mihi persuaserit: cum illa eo pacto, commodum, ædificata videamus, quo mancipiorum ergastula fieri olim consuesse de Columella didicimus, ajente: 13. *Optime solutis servis cellæ meridiem æquinoctialem spectantes fient. Vinctis quam saluberrimum subterraneum ergastulum plurimis. Sitque id angustis illustratum fenestris, atque a terra sic editis, ne manu contingi possint*. Profecto vastissimum fuisse Luculli Bestiarium in Tusculano, innuit Varro. Siquidem suorum temporum luxuriam cum antiquiorum modestia comparans, ac præcipue ad Luculli Tusculanum alludens: 14. *Neque enim*, inquit, *magnum erat id septum. Quod nunc ut habeant multos apros ac capreas, complura jugera maceriis concludunt*. Certe illud Q. Hortensii in Laurentino quinquaginta jugerum spatium maceria conclusum complectebatur. 15. Quorum in medio excelsum ædificium, turris instar, erat, cum cœnatione. Unde tuba convocatas diversi generis bestias quamplurimas cernere, momento, circa congregatas, ad pabu-

13. *RR. c. 6. l. 1.*

14. *R.R. l. 3. c. 3.*

15. *Var. R.R. l. 3. c. 13.*

bulum, jucundissimum ne an horrendum spectaculum cernere erat. Quod in suo Tusculano Lucullum imitatum fuisse, non dubito. In hoc vivario cerui potissimum, apri, damæ, capreæque alebantur; tum etiam oryges; &, si quod aliud, non tamen ex ferissimis animalibus: cum ad culinam demum ea omnia ab Lucullo destinarentur. Forte & septa alia habuit Lucullus in Tusculano, ea parte ubi nunc *La Selva della Comunità*. Cui adjacebant ingentes Thermarum, aliarumque Balnearum, structuræ: loco, cui, ab antiquo certo deductum, vocabulum, *La Bagnara*. Et aliud adhuc circa præsens Burghesiorum prædium sub monte Dracone, vulgo *Villa vecchia*; & *il Forno*. ubi nunc quoque septum est Leporum, & antiquitus Luculli Leporarium extitisse, sunt, qui conjectantur.

Loco autem, nunc *La Bagnara*, insanæ Thermarum Lucullanarum substructiones adhuc apparent. Siquidem ab recenti urbe Tusculo descendentibus, ad dexterum latus ædium Fratrum Minorum, quos vocant, haud ita multis abhinc annis, loco, qui dicitur *La Bagnara*, veterum murorum rudera detecta fuerunt; aquæductuum, camerarum, fornicum, aliorumque, ad balneas inservientium manifesto, ædificiorum, ex opere lateritio, pro balneis, thermis, sudatoriis, atque laconicis Lucullanis. Intra urbem vero, in area Ædis, Beatæ Mariæ, & Sanctis Rocco & Sebastiano dicatæ, ex Vivariis unum fuisse, vetustum illius sacræ

Ædis nomen, *Sanctæ Mariæ in Vivario* nobis significat; præter convenientia Scriptorum plurium testimonia. Intra hæc Vivaria, quas & Piscinas communiori vocabulo Latini appellabant, ingens, supra quam credi potest; omnis generis piscium multitudo concludebatur; quos electa sagina Lucullus pascebat. Aquæ vero eodem congregatæ mutabantur identidem, vetere educta, & derivata recenti. Porro formæ, in quibus ad piscinarum usum conservabantur congregatæ aquæ, aliæ sub ædibus Patrum Societatis Jesu Tusculi erant; unde vestigia earum in templo Sanctissimi Nominis Jesu ibidem extruendo a fossoribus detectæ sunt; quæ aream illam ad Portam, quæ dicitur *Porta Spinetta*, occupabant omnem, ad Vainorum usque præsentem villam; sub qua fornicum vetustorum rudera apparent adhuc; per quos in eas formas aquæ collectæ perducebantur. Aliæ vero ex iisdem formis propius Vivaria fuere. Quarum una latissima adhuc integra manet sub præsenti Tusculana arce, & arcis area, vulgo *Piazza della Rocca*. Impleturque etiam nunc aquis; quarum si quando ceterarum meliorum copia deficiat, per apertum ad id foramen, Tusculano Populo est usus. Porro huic Formæ, sive Cisternæ, Arx ipsa Tusculana inædificata apparet; cujus nunc pacifico fruitur usu, Summorum Pontificum beneficio, Petrus Marcellinus Corradinus Cardinalis amplissimus hujusce nostri Operis primus Auctor, & Mecænas optimus, ad

ad necessarium aliquando, gravissimis ab negotiis & studiis ocium captandum. Ibique magnorum Principum & Optimatium, piorum quoque & eruditorum omne genus virorum perpetua corona cinctus Vir clarissimus cum magnificentia simul & liberalitate, Christianam tamen sapiente sobrietatem, lautis æque ac moderatis conviviis eosdem adhibere, per Autumnales præsertim ferias, consuevit. Quoties enim per idem tempus ab humanissimo Principe nos quoque sapientum illis conviviis sumus adhibiti, toties copiam cum sobrietate, liberalissimos jocos & sales cum utilissimis sententiis, virtutem denique ipsam cum animi jucunda relaxatione convivari semper, cum sapientissimo viro simul, admirati sumus. Ceterum de Luculli Piscinis Varro & Columella sic meminerunt. Ille quidem: 16. *M. Cato nuper, cum Luculli accepit tutelam, e piscinis ejus quadringentis millibus sestertiis vendidit pisces*. Colummella vero iisdem pene verbis: *Ipse* (Cato) *tutor Luculli grandi ære sestertium millium quadringentorum piscinas pupilli sui venditabat*. Atque alibi: 17. *Quis propter nobilitatem, ignorat piscinas Philippi, Hortensii, Lucullorum?* Quamquam autem hæc potissimum de Luculli Piscinis, contra Puteolos sitis, scripta fuerint; ea tamen & Tusculanis ex parte convenisse, non dubitamus. Quamvis illæ marina, adeoque salsa; hæ fluminum fontiumque dulci opplerentur; ac diversa proinde piscium genera conservarent. Ceterum Lucullo haud difficile

16. R.R. l. 3. c. 2.

17. R. R. l. 3. c. 3. in fine.

 fuit

fuit tantam aquarum vim in ſuas formas, piſcinas, & balneas, congregare; cum triplex ſaltem aqua perennis in Agro ſuo Tuſculano, *Virgo*, ſcilicet, *Tepula*, atque *Appia* conciperetur. quod ſupra, ex Frontino, docuimus. Per innumerabiles igitur mancipiorum greges atque cataſtas aquæductibus, partim ſubterraneo rivo, partim, ſi opus fuiſſet, ſupra fornices extructis, omnes vaſtiſsimæ ſuæ villæ partes irriguas fecit. Eædem ſtatuis & ſignis, elegantiſſimi operis, pretioſiſſimæque materiæ, propemodum infinitis, ornatæ undique erant. Siquidem Lucullus tantam vim eorum ex Aſia Romam attulerat, ut, non modo villas ſuas, ſed ipſam Urbem frequentiſſimam eiſdem reddiderit. Hoc Plutarchus & Plinius aliique Scriptores veteres tradidere. Nos, ex Plinio excerpta, paucula hujus Luculli luxuriæ teſtimonia proferemus. Itaque Plinius de Varrone locutus, inquit: 18. *Idem magnificat Arceſilaum L. Luculli familiarem, cujus proplaſmata pluris vænire ſolita artificibus ſuis, quam aliorum opera. Ab hoc factam Venerem genitricem in Foro Cæſaris, & priuſquam abſolveretur, feſtinatione dedicandi, poſitam. Deinde eidem a Lucullo talentis* LX. *ſignum Fidei locatum; cui mors utriuſque inviderit*. Rurſum, 19. *Audaciæ*, inquit, *innumera ſunt exempla. Moles quippe excogitatas videmus ſtatuarum, quas coloſſos vocant, turribus pares. Talis eſt in Capitolio Apollo translatus a Lucullo ex Apollonia Ponti urbe* XXX. *cubitorum* CL. *talentis factus*, Quamvis hic revera Plinius de

18. Lib. 35. c. 12.

19. Lib. 34. c. 7.

de Marco Lucullo Lucii fratre locutus fuerit. Lucii tamen & filii ejus id quod ſequitur, fuit, eodem auctore Plinio [20]: *In mentione ſtatuarum, eſt & una non prætereunda, licet auctoris incerti, juxta Roſtra, Herculis tunicati, Eleo habitu, Romæ, torva facie, ſentienteque ſuprema, in tunica. In hac tres ſunt tituli:* L. Luculli Imperatoris de manubiis. *alter*, Pupillum Luculli filium dedicaſſe. *tertius*, T. Septimium Sabinum Ædilem Curulem ex privato in publicum reſtituiſſe. *Tot certaminum, tantæque dignationis ſimulacrum id fuit.* Denique Lucullus ipſe genus marmoris invenit, cui nomen *Lucullco* fecit. Plinius idem [21]: *Poſt hunc Lepidum, ferme quadriennio, L. Lucullus Conſul fuit, qui nomen, ut apparet ex re, Lucullco marmori dedit, admodum delectatus illo; primuſque Romam invexit, atrum alioqui, cum cetera maculis & coloribus commendentur. Naſcitur autem in Nili inſula, ſolumque pene horum marmorum ab amatore nomen accepit.* Hoc itaque marmore, aliiſque diverſicoloribus quamplurimis Lucullanæ ædes omnes in Tuſculano circumveſtitæ undique fuerunt, pavimenta inſtrata, facies & frontes ædium munitæ, pretioſiſſimis metallorum cum politiſſimis rariſſimiſque lapidum decertantibus; materiei quoque opere & artificio ſemper æmulis. Inſignes pariter Luculli Pinacothecæ memorantur a Varrone. Erant autem ambulacra ingentia marmoribus tecta undique, de quibus tabulæ pictæ excellentiſſime dependebant. *pinax* πίναξ enim Græcis tabula eſt; *the-*

20. Ibid. c. 8.

21. Lib. 36. c. 6.

theca θήκη vero *claustrum*, *arca*, *conditorium*, nobis
22. R.R. lib. 1. c. 2. nunc *Galleria di Quadri*. De his itaque Varro 22.: *Fundi* (Cnei Tremelii Scrofæ) *propter culturam jucundiore spectaculo sunt multis, quam regie polita ædificia aliorum. Cum hujus spectatum veniant villas; non, ut apud Lucullum, ut videant pinacothecas, sed, oporothecas*. Sunt autem *oporothecæ*, ne forte hæreas in vocabulo, ædificia ad autumnales servandos fructus instructa; quod Græca vox satis indicat. Quare, quemadmodum in Luculli statuis, Praxitelis multum fuit, Lysippi, Polycleti, Scopæ, aliorumque celeberrimorum Græcorum Sculptorum. Sic in Pinacothecarum tabulis, Zeuxidis, Apellis, Parrhasii, aliorumque primi subsellii Pictorum, fuit quamplurimum. Unum tantum ex Plinio
23. L. 35. c. 11. exemplum memorabo. 23. *Postremo* (Pausias Sicyonius) *pinxit illam* (Glyceram municipem & amicam suam inventricem coronarum pangendarum e floribus) *sedentem cum corona. quæ e nobilissimis ejus tabula, appellata est* STEPHANOPLOCOS, *ab aliis* STEPHANOPOLIS; *quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. Hujus tabulæ exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit a Dionysio Athenis*. Porro has Luculli pinacothecas in nobilissima ædium parte collocatas fuisse, crediderim; quas in latissimis Ludovisiæ villæ areis consurrexisse, jam diximus. Cui celeberrimæ quoque Bibliothecæ fuere conjunctæ.


Id enim in tanto luxu laudatur a Plutarcho de

de Lucullo, quod inſtructiſſimas omni librorum genere Bibliothecas habuerit. Quamvis ipſe quidem jam ſenex, deliciiſque tantum ciborum, & ſpectaculorum, deditus, ex iis forte tunc fuit, de quibus poſtea Seneca ſalſe dixit, plurimos fuiſſe ingentium Bibliothecarum dominos, quibus ſuorum librorum tituli,& frontes tantum placerent,& umbilici. Quod quantum noſtro huic, extrinſecus quammaxime erudito ſæculo, quadret, interiores eruditi viri diſpexerint. Itaque de Luculli Bibliothecis Plutarchus: *At illud maxima certe laude dignum fuit in Lucullo, perpetuaque memoria, & exemplo ad poſteros tranſmittendum, quod Bibliothecam copioſiſſima librorum ſupellectile inſtructam congregaverat; pulcherrime ſcriptis codicibus, quos lectum venire omnibus commune erat*. Luculli enim Bibliotheca, atque ambulationes, & ſcholæ ſemper cuilibet patuere. Eo Græci ventitare ſolebant; & in aulam cui *Muſarum*, ſive *Muſeum* nomen erat, convenientes, illic Philoſophicis diſputationibus dies totos impendere. Quos inter, aliquando Lucullus ipſe conſediſſe memoratur; aliquid & ipſe diſputaturus. Diximus autem Lucullo non tantum Bibliothecam, ſed Bibliothecas fuiſſe. non modo, quia & Romæ, & Tuſculi, & Puteolis, & alibi etiam fortaſſe, librorum copiam habuerit; verum etiam quod in Tuſculana ipſa villa plura cubicula referta libris ſervaret, diverſiſſimi argumenti, quorum claſſes ſingulæ copioſiſſimæ, diſtinctæ, quædam unaquæque Bi-

Bibliothecæ erant. Has cum ceteris villæ deliciis Lucullo filio unico reliquisse Lucium Lucullum, ex Tullio cognoscimus, ajente 24.: *In Tusculano cum essem, vellemque e Bibliotheca pueri Luculli, quibusdam uti libris; veni in ejus villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem*. & nonnullis interjectis, cum Catone loquens: *Caussa enim*, inquit, *huc veniendi fuit, ut quosdam hinc libros promerem: & quidem, Cato, totam hanc copiam jam Lucullo nostro notam esse, oportebit: nam his libris eum malo, quam reliquo ornatu villæ delectari*. Quamquam autem Cicero summis laudibus L. Lucullum patrem, eumdemque clarissimum Imperatorem, ornaverit; initio præsertim Academicæ illius Quæstionis, quæ incipit: *Magnum ingenium L. Luculli*, quum ex persona ipsius Luculli maxima ex parte disputat; fuit, nihilominus, ut ajebam, mollissima ejus in senectute vita, communissime reprehensa. Villa præsertim ejus Tusculana tot insanis molibus ampla, tot deliciis supereffluens, Ciceronis ipsius censuram, quamquam amicissimi, non effugit. Sic enim Tullius, libro de Legibus: *Vir magnus, & nobis omnibus amicus L. Lucullus, efferebatur, quasi commodissime respondisset, cum esset objecta magnificentia villæ Tusculanæ, duos se habere vicinos, superiorem Equitem Romanum, inferiorem Libertinum; quorum essent magnificæ villæ; concedi sibi oportere, quod iis, qui tenuioris ordinis essent, liceret. Nonne vides, Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? quibus id, si tu non faceres, non liceret. Quis enim*


24. Lib. 3. de Finib.


Tab. III.
Lucullanum in agro Tusculano, vulgò
la Grotta di Lucullo, o il Centrone.



LVCVLLANARVM VILLARVM
IN TVSCVLANO
SVBTERRANEA AEDIFICIA

Quae sub VILLA ROCCIA descendentibus atque rimantibus deprehenduntur ad locum vulgo' LI CENTRONI aut LE GROTTE DI LVCVLLO.



Ubi hodie sentes spinæque dominantur, olim Piscina huiusmodi existebat, in agro LUCULLI Tusculano.


Tab. VI
RUINÆ VILLARUM LUCULLA,
narum passim inter Marinum et Tus,
culum in Campis obviæ.

enim ferret istos, cum videret eorum villas signis & tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris & religiosis? quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupiditatis ejusdem tenerentur? nec enim tantum mali est, peccare principes (quamquam est hoc magnum per se ipsum malum) quantum illud, quod permulti imitatores principum existunt. Ex quibus obiter nota, magnificas circa Luculli villam Tusculanam, fuisse alias duas, Equitis Romani superiorem; inferiorem, loco scilicet, ac situ, Libertini, tabulis & signis publicis etiam, sacris & religiosis, usque ad effusam luxuriem ornatissimas. Ceterum in Lucullana, Theatrum, Gymnasium, Palestram, aliaque ad spectacula constructa ædificia, non dubitamus: templa quoque permulta, & sacella diversis numinibus posita, quorum Lucullus signa ex Asiæ templis advexerat. Quamquam de illis apud Auctores peculiaris mentio facta non inveniatur Sororem M. Catonis Junioris e Porcia Gente Tusculana, qui Uticæ in Africa se interfecit, ne in Cæsaris manus veniret, Lucullus uxorem duxerat; ex qua L. Lucullum unicum filium suscepit, cujus tutelam Catoni avunculo demandavit. Qui patrem non tantum rerum gestarum gloria, quantum vivendi ac cœnandi luxurie imitatus est, ac superavit quoque. Siquidem de illo Plinius 25.: *Quibus vinis autoritas fuerit sua in mensa, Varro his verbis tradidit: L. Lucullus puer apud patrem nunquam lautum convivium vidit, in quo plus semel Græcum vinum da-* 25. Lib. 14. c. 14.

retur. Ipse, cum rediit ex Asia, millia cadum congiariorum divisit amplius centum. Tanto autem cibo in senectute apud Tusculanam hanc villam suam sese ingurgitasse Lucullus pater traditur, ut servo, qui cessare illum cogeret, demum uti consueverit. De hoc ita Plinius 26.: *Multo utilissima est temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de se præfecturam servo dederat: ultimoque probro, manus in cibis triumphali seni deducebatur; vel in Capitolio pudenda re, servo suo facilius parere, quam sibi.* Forte fuit hic Hero servus Luculli medicus, quem Plinius idem a domino tradit summe dilectum. Aut etiam Callisthenes Luculli libertus, a quo traditur Lucullus, 27. extremis vitæ diebus amatorio poculo dementatus, ita ut Curatore M. Lucullo fratre uteretur. A quo etiam, cum haud ita multo post obiisset, sepulcro traditum in villa sua Tusculana, licet Populus Romanus, Romæ funus tanti Imperatoris publice celebrare exoptasset, Plutarchus memoriæ prodidit. Id sepulcrum apud Portam principem præsentis oppidi *Frascati* extare, memorant, adhuc; quamvis ornamentis omnibus spoliatum; juxta cauponam publicam, dextero in oppidum intrantibus latere, intra privatæ domus parietes inclusum. Cum tamen intra vastissimum spatium agri Tusculani, quod Luculli villæ occupaverunt, plura sepulcrorum adhuc extent vestigia; quodnam Luculli fuerit, stabilire, audacissimum foret. Ex his certe villis tot etiam post evoluta sæcula, totque post de-

26. *Lib.* 28. *c.* 5.

27. *Plutarch. in vita, & Corn. Nep.*

deprædationes, & aſportationes, adhuc tamen in dies fragmenta eruuntur ornamentorum, quorum ſeriem texere longiſſimum foret. Unum tamen Epigramma referam, quod Barnabas Mattejus in manuſcripto Codice anno a V. P. MCCCC. inter vetuſtorum lapidum inſcriptiones, reperiſſe teſtatur. De cujus tamen vetuſtate atque ætate non diſputo. 28.

28. Mem. dell' antic. Tuſcol. p. 70.

Hic tibi ſurgebant, celebres, Lucule, Penates;
Pro quibus, heu! vaſta mole Ruina jacet.
Ipſe tamen paries priſcæ veſtigia formæ
Servat; & everſum grande ſuperbit Opus.
Omnia quæ diro conſumunt dente, parabant
Exitium ſaxis tempora. Fama negat.

Quamquam enim epigramma ſe ipſum prodat, poſt dirutam villam, enatum; idem, nihilominus, eo tempore ſe factum fuiſſe confirmat, quo parietes L. Luculli villæ ſervabant adhuc priſcæ veſtigia formæ; quam certe multis jam ſæculis eos penitus amiſiſſe, didicimus. Inter copioſiſſimos L. Luculli Libertorum greges L. fuit Licinius Amaſſynthius, qui Patroni beneficiorum, quibus maximis cumulatus fuerat, non immemor, Tuſculanam villam in monte conſtruxit, quam trophæis marmoreis, ſignis ac tabulis Patroni ſui res præclariſſime in Aſia geſtas repræſentantibus ornavit. Quorum non incerta fragmenta ſe reperiſſe Pyrrhus Ligorius prodidit. 29.

29. Lib. A. L. v. Amaſſynthiano.

Quoniam vero, poſt Lucullos, eorum Tuſcu-

lanæ villæ ad plures dominos pervenere; in earum parte, ubi Balnearia fuerant, loco, ut ajebam, nunc *La Bagnara*, Sergii ſeu Servii Sulpicii Galbæ Romanorum Imperatorum Septimi, villam fuiſſe, quædam ibi eruta monumenta ſignificaſſe videntur. Siquidem circa villam, quæ olim *Veſpignanorum* fuit, nunc vero a *Sacerdotibus Lucenſibus Matris Dei Romæ in Porticu*, poſſidetur, vicinam Luculli balneis, ingentes ſpecus apparent, pilis quadratis magnæ molis fornices ſuſtentantibus, antiquo opere, tectorio adhuc ſtabili liniti, aquiſque repleti, qui Caſtellum aquarum fuiſſe per plumbeas fiſtulas ad Lymphæa Luculli perductarum, creduntur. Quandam enim harum fiſtularum partem juxta ſilvam Populi Tuſculani vulgo *della Comunità*, ſex & viginti abhinc annis inventam, ſcimus, in vinea Tuſculani civis, ubi eadem Lymphæa cernuntur quadruplici ordine, in qua literis ex ipſo plumbo extantibus legebatur.

FELIX . AR. IMP
SER. GALBA . V. G.

Hic proinde non male creditum eſt, Galbæ Imperatoris Tuſculanam villam ſitam fuiſſe, de qua Svetonius ſic memoravit: 30. *Sumta virili toga, ſomniavit Fortunam, dicentem, ſtare ſe ante fores defeſſam: & niſi ocyus reciperetur, cuicumque obvio prædæ futuram. Utque evigilavit, aperto atrio, ſimulacrum æneum Deæ cubitali majus juxta limen invenit: idque gremio ſuo Tuſculum, ubi æſtivare conſueverat, avexit: & in par-*

30. *In Galba.*

parte ædium conſecratum, menſtruis deinceps ſupplicationibus & pervigilio anniverſario coluit. Quamquam autem ad imperium Galba pervenerit; vix tamen illud guſtaverat, & a factione Marci Salvii Othonis inde depulſus eſt, & a militibus occiſus, ac ludibrio etiam poſt mortem habitus. Infelicem hunc exitum prænunciatum illi a Fortuna ſua Tuſculana, idem Tranquillus memoriæ prodidit. Ait enim, circa ejus vitæ finem: *Monile margaritis gemmiſque conſertum ad ornandam Fortunam ſuam Tuſculanam ex omni gaza ſecreverat; id repente, quaſi auguſtiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicavit: ac proxima nocte ſomniavit ſpeciem Fortunæ querentis, fraudatam ſe dono deſtinato, minantiſque erepturam & ipſam, quæ dediſſet. Cumque exterritus luce prima, ad expiandum ſomnium, præmiſſis qui rem divinam appararent, Tuſculum excucurriſſet; nihil invenit præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta ſenem, in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum.* Hanc vero Galbæ villam in locum ipſius ſilvæ Populi Tuſculani extenſam fuiſſe 31. perhibent; adduntque, proxime lapſis annis ſtatuas indidem effoſſas duas, heroico Imperatorio habitu, quarum una Galbæ fuiſſe credita eſt. Cum tamen utraque capite careret, nec ullæ, cujuſnam foret, admonerent inciſæ literæ; res in incerto remanſit. Ad ſcalas hæ ſtatuæ Domus Publicæ Magiſtratuum Tuſculanorum nunc proſtant. Eodem in prædio, ubi Galbæ Tuſculanum conſtituimus, in ipſo aditu, intrantibus ara

31. *Mattei. Mem. dell' Antic. Tuſcol. p. 91.*

ara antiqua marmorea cernitur, quartam palmi partem alta, craſſa vero uncias decem, lata palmum unum & ſemis, cum literis.

ARA
SOLIS

Ad ingreſſum Caſtelli aquarum, Veſpignanus loci olim dominus, hæc marmori voluit incidi:

CVRIOSO ANTIQVITATIS STVDIO
RECEPTACVLVM AQVARVM
AD TVSCVLANAS OLIM
THERMAS INTROSPICITVR.
ANNO DIRAE LVIS 1656.

In ipſis autem ædibus quædam muro infixa viſuntur antiqua ἀνάγλυφα, *anaglypha* nobis *baſſirilievi* valde elegantia: & in marmoreo fragmento ſcriptum utrinque legitur. hinc quidem

\- - - - - - - - - - - - - - - -
\- - - - IT MANIBVS TVMVLI . DVLCISS - - - -
\- - - ETIOSA TVOS BVSTA TEGVNT . O - - -
\- - - - - DSI . SACRATVS . LACRIMI. - - - - - -
\- - - - - - - - - - - HAVSIT - - - - - - - - - - -
\- - - QVAM FAMA TAMEN . CVM TITVL - - -
\- - - - - - - - - IAM . MORITV. - - - - - - - -

Hinc vero

QVI VIXIT ANN LXVII DEP. D. KAL
VILISARI . VC.

Chriſtianum eſt monumentum, circa Juſtiniani Senioris tempora ſcriptum; ſiquidem Beliſari, Conſulatus in eo computari videtur. Chriſtianorum autem nota, vox illa eſt DEP ſcilicet *Depoſitus*, cui etiam ſæpe addebant pii Chriſtiani *In Pace*.

C A-

CAPUT V.

De reliquis Tusculanis Villis & Veterum Monumentis.



CETERARUM in Agro Tusculano Villarum quamplurium reliquias & Monumenta Pyrrhus Ligorius, Rodulphi Pii Cardinalis Antiquarius & Architectus, diligenti ab se investigatione reperta in unum collegit. De cujus penu educta nos hic proferimus; ubi alia non suppetunt testimonia, quæ idem confirment, in ipsius Ligorii fidem universa revocantes. Ait itaque Pyrrhus, in ruderibus *Anniæ* villæ quondam in Tusculano hujusmodi ab sese repertum lapidem 1. 1. v. Anniæ

L. ANNIO . L. F. VETER. POETAE
SINGVL. VIX. ANN. XXXXIV.
ANNIA AVRELIA MARITO
DVLCISS. KARISS. FIDELISS
HERES . EX TEST. PONI CVRAVIT

In planicie vero, Romam versus, Viam prope Latinam, Fundum fuisse *Auffinianum*, qui erat pars villæ *Auseniæ* Sexti Ausenii Tusculani, quem exornatum ædibus ac statuis pluribus egregii operis, fragmenta testata sunt. ibi enim effossæ deorum plures, Veneris præsertim 2., Bacchi, & Vertumni. Rus item *Canulejanum*, familiæ 3. scilicet Canulejæ; de qua gente acerrimi olim in Romana Republica Tribuni Plebis extiterant. *Carbiliana* quoque præ-

2. v. Auffiniano.
3. v. Canulejano.

prædia in Tuſculano fuiſſe, in quibus Caii & Marci Carbiliorum plures erant villæ. Cujus Gentis & in Tuſculano, & in Albano, & in Corano montibus monimenta reperta ſunt. Ex hac fuit ille Carbilius, qui primus Romæ uxorem propter ſterilitatem repudiavit. Interque 4. Carbiliorum libertos computatur Carbilius Grammaticus, qui primus Romæ docuit mercede recepta. Ex ea quoque parte, unde Mons Tuſculanus Lacum Regillum reſpicit, Rus *Catullianum* 5. extitiſſe Valeriæ Gentis, Veronenſis, ex qua Catullus celeberrimus poeta floruit. In Tuſculano pariter *Hirtii* villa, ubi fons *Chalciopea* dictus; ad quem inſculpti Helles & Phryxus in dorſo arietis mare transfretantes, cum Chalciope nympha in ſcopulo jacente. De quibus Fabulatores, ac præcipue Valerius Flaccus & Ovidius meminere 6.. Hic Hirtii Cæſariani hominis fons in Tuſculano. Item prope, Viam Latinam, villa fuit cum ſepulcris Familiæ *Chariniæ* Romanæ. In monumento autem tabula erat, in qua inſculptus Charon repræſentabatur in phaſelo, Portitoris animarum ad Stygiam tranandam paludem munere fungens: ibidem Mercurius aliquas ad Inferos animas ducens, juxta Veterum fabulas. Perindeacſi Charinii ad Charontem 7., tanquam gentilitium ſibi numen alludere voluiſſent. De Charino Martialis ſæpe; ſi tamen, fictitium id nomen non uſurpavit. Ad radices Tuſculani montis, prope Viam Latinam rus fuit *Thæmianum*, quod M.Thæmius

4. *v.* Carbiliano.

5. *v.* Catulliano.

6. *v.* Chalciopea.

7. *v.* Charinia.

mius Licinianus 8. possedit. Tusculi, prope locum, ubi nunc oppidum *Frascati*, rus erat *C. Thalsii* liberti Familiæ Juniæ, ubi Cereri *Thalsianæ* facta dedicatio in hæc verba, detecta est: 9.

8. v. Thæmiano.

9. v. Thalsiano.

CERERI FRVGIFERAE THALSIANAE
SACRVM
C. IVNIVS . THALSIVS . C. IVNI LIBER
ET THALSIA VXOR PLAVTILLIANA.

Ibidemque terminalis lapis his notis inscriptus apparuit.

VILLA . THALSIANA . TERM. CIRCIT
P. MCCCX

Iisdem in Tusculani montis radicibus villa *Antii Medusii*, Tiberii Claudii Liberti. Hic ad sepulcralia ornamenta, stabant insculptæ tabulæ cum bellicis numinibus 10. Marte, Bellona, Victoria, aliisque. trophæa etiam, & peditum dimicantium certamina repræsentabantur. *Metellianum*, gentis sive Familiæ Metellorum 11. tam in Tusculano quam in Albano fuit. At in Tusculano seorsim rus *Mevianum* 12., scilicet Familiæ Meviæ, juxta Latinam; unde sepulcrales hi lapides eruti. Primus sic.

10. v. Medusiano.

11. v. Metelliano.

12. v. Meviano.

MEVIORVM FAMILIAE
M. MEVIVS . M. F. QVIR. VERVS
EQ. ROM. PATER . XVVIR SAC. FACIVN
XVVIR STLIT. IVDIC
TRIB. MILIT. LEGION I ITALIC
PRAEF. ANNON. QVAESTOR . AERARI . SATVR
QVAEST. PROVINC. AFRICAE
V. F. C.

In altero.

D. M. SAC
C. MEVIO. C. F. QVIR. PLENO
PRAEF. PRAET. VIXIT. AN. LV
M. VII. D. VIII
MEVIA MARCIANA ET M. MEVIVS
M. F. QVIR. ASPER. PAREN
P. C

Num ex his Mevius poeta maledicus? cui Horatius naufragium imprecatur Ode illa 13. *Mala soluta navis exit alite, ferens olentem Mevium.* & de quo Virgilius 14. *Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mevi*. Prædiolum quoque *Marci Pacuvii*, 15. antiquissimi Latinarum Comœdiarum Scriptoris, in Tusculano fuisse olim apparuit. Tum villa *Apsaniana* 16. in Colle Tusculano, Q. Apsanii Tusculani, ex lapide ibi reperto

13. *Epod.* 11.
14. *Eclog.* 3. *v.* 90.
15. *Ligor. v.* Pacuviana.
16. *v.* Apsaniana.

D. IVNONI. GABINAE. ALBANAE. CONSERV
APSANIANA. PRAEDIA. Q. APSANIVS
TVSCVLANVS. H. L. S.

Et *Fraterculianum*, Labicanam inter atque Latinam Vias, ultra montes Tusculanos, septimo & decimo ab Urbe lapide; 17. ubi villa Caii Fraterculi Romani, socii in Sicilia C. Verris Prætoris. de quo Cicero in Actionibus contra eumdem Verrem. Villa itidem *Gamæsia* Lucii Gamæsii Tusculani, ubi plures repertæ statuæ, in quarum basibus hæ dedicationes.

17. *v.* Fraterculiano.

CE-

I.

CERERI FRVGIFERAE . CONSERVAT. PRAED
GAMAESIANOR. CAIA GAMAES. VERECVNDA

II.

VORTVMNO . SACRVM
L. GAMAESIVS . TVSCVLANVS . PRISCILLIANVS

III.

LIBERO PATRI
D. D
C. GAMAESIA . ET
L. GAMAESIVS . PRISCILLIANVS 18. v. Gamæsia.

IIII.

GENIO . FRVGIFERO
CONSER. VILLAE
GAMAESIAN. SAC
Q. GAMAESIVS . PRISCVS . EQVES

In Tuſculano erat villa *Q. Getii Criſpi* 19. prope Viam Latinam, in qua plura fragmenta ſtatuarum Jovis, Cereris, Bacchi, Apollinis, aliorumque profanorum numinum, reperta ſunt. At in monte Tuſculano rus habuiſſe *Septimium Liegerium*, hæc Herculi facta dedicatio, ibi detecta, innuiſſe viſa eſt, 19. v. Getiana.

HERCVLI COMITI
CONSERV. COHORT. VII. PRAET
SACRVM
P. SEPTIMIVS . LIEGERIVS . V. C
PRAEFECTVS . PRAETORIVS

Quod terminalis lapis multo magis confirmavit, in quo ſcriptum 20. 20. v. Liegerino.

LIEGERINVM FVNDVM . TERMIN. PER
LATER. OCCIDENT. PASS. LXX

In radicibus Tuſculani montis, Lacum Regillum verſus, & Caſtrum Columnæ, rus fuit familiæ *Medullinæ*, Romæ antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ 21. De qua nos in fine Libri ſexti, qui de Veliternis eſt, egimus. Iiſdem ſub radicibus villa *M. Terrentii Phoroxini* Grammatici. Hic Libertus familiæ Terrentiæ hoc loci Ædes cum Balneo & Spoliario habuiſſe dicitur in lapide ibidem eruto. 22.

21. v. Medullimano.

22. v. Phoroxiniano.

M. TERRENTIVS . M. L. PHOROXINVS
GRAMMATICVS . BALINEVM, ET
SPOLIARIVM . ET . CVBICVLVM . DESCVMBITORIVM
PERFECIT . EXORNAVIT . ET
LOCVM . DORMITORIVM . PRO . RVRI . INCHOAVIT
P. Q

Tuſculi, in agro ſcilicet Tuſculano, prope fontem Aquæ Tepulæ, rus *Plautianum* 23. fuit a L. Plautio Venoce bis Conſule ædificatum. Hic *Venox* inde cognominatus, quod quaſdam aquæ vivæ *venas* primus inveniſſet. In monte autem Aurunco Tuſculano, prædium fuiſſe *M. Pollii*, 24. quod jure deinde hæreditatis ad *L. Cejonium Verum* transiverat, termini ibi reperti ſignificabant, in quibus *Pollianum Cejonianum* legebatur. Item *L. Æmilii Pyrtii* Æmiliæ Familiæ Liberti, ut ex terminalibus cippis effoſſis 25. patuit, in quibus notæ id teſtabantur. Quemadmodum & *Fabianum* familiæ Fabiæ, ubi lapis hic terminalis.

23. v. Plauziano.

24. v. Polliano.

25. v. Pyrtiano & Fabiano.

SEX. FABIVS . SEX. F. PAL
POSTHVMIANVS . FVNDVM POSTHVMIANVM
FABIANVM . TERM

Hunc

Hunc fundum eo loco fuiſſe Ligorius refert, qui ſua ætate *Pantano de Grifi*, vulgari vocabulo dicebatur. Porro *Aureliæ* Gentis prædia Tuſculana, inde Pyrrhus idem 26., fuiſſe olim, collegit, quod *Aurelianum Fundum* Chriſtiano Tuſculano Antiſtiti deinde aſſignatum, in vetuſtis codicibus reperit. Cujus pariter teſtimonio, rus habuit in Tuſculano *L. Marcius* 27. *Labeo*, qui civilium bellorum, Cæſarem inter atque Pompejum, ferventibus motibus, vixiſſe perhibetur. Num de illo Horatius? 28. *Labeone inſanior inter ſanos dicatur*. Sub Tuſculano, Via Labicana, *Albinianum*, familiæ Albinæ Romæ illuſtris & Conſularis; ibi lapides terminales reperti duo, cum literis quiſque prægrandibus 29. ALBINIANUM. At ſupra Viam Latinam in Tuſculano monte, ubi Cereris Alphiæ ſtatua reperta cum dedicatione, 30. *Alphianum* prædium C. Alphii, Auguſti Liberti; illius forte ditiſſimi fœneratoris, ex cujus perſona Horatius elegantiſſime laudes vitæ Ruſticæ 31. perſecutus eſt. In quarum fine, Alphium illum ad ingenium & priſtinas fœnorum ſordes rediiſſe ſtatim, tot poſt frugalia pronuntiata verba, ſalſe concludit,

Hæc ubi locutus Fœnerator Alphius,
Jam jam futurus ruſticus,
Omnem relegit idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Et ſubtus collem rus *Amblaſinum* 32., ubi terminalis hic lapis

26. v. Ferrata.
27. v. Labeoniano.
28. *Sat.* 3. *l.* 1.
29. *Ligor. l. A. L.* v. Albiniano.
30. v. Alphiano.
31. *Epod.* 2.
32. v. Amblaſino.

C. IVNIVS . C. F. AMBLASINVS
MILES . LEG. III. ITALICAE
FECIT
MASSAM . IN FVNDVM . AMBLASINVM . PRIVAT
LOG. SPAT. PED. MCCCCLXXII
QVOQVE . LAT. TERM

In hoc ædes fuerunt *Lithoſtrotis*, pavimentis ſcilicet teſſellato ac muſivo compactis opere, quorum non obſcura veſtigia ſe detexiſſe, Pyrrhus teſtatur. *Papiria* vero 33. gens, quam plurimis in Latii locis villas habuiſſe ſcimus, in Tuſculano præcipuas magnificas & peramplas ædes poſſedit. Item *Petronia*; & *Druſus* Tiberii Cæſaris pater. Idem de *Apicio* traditur celeberrimo illo ganeonum & guloſorum magiſtro & anteſignano. In loco autem, quem dicunt *La Mandreola* rus fuit *L. Ligarii*, num ex ea gente, ex qua Q.Ligarius, in cujus defenſionem Tullius orationem habuit? Et hæc quidem Tuſculanarum ex Ligorio villarum ſunt monumenta.

33. *Ligor. v.* Papiriana.

Petroniana. Druſiana. Apiciana.

Ligariana.

Ceterum alia ex lapidibus in Tuſculano nunc quoque extantibus ſumma diligentia collegit, excripſit, ac recenſivit Pater Antonius Maria Lupius Societatis Jeſu Sacerdos, vir eruditæ Antiquitatis veſtigandæ ſtudioſiſſimus, & cum paucis peritus. Qui, benigne quod eorum nobis copiam huc inſerendorum fecerit, merito ſua hic laude & honorifica donandus commemoratione fuit: in quo nuper immature ſublato, hæc ſtudia plurimum amiſerunt. Itaque, aliorum Antiquariorum recenſione omiſſa, noſtræque ulterius habendæ parcentes,

tes,

tes, Lupianam tutissime secuti sumus; fidelissimam illam in plurimis jam experti, dum ipsi vetera hæc monumenta præsentes relegeremus.

Itaque Tusculi, villa Mondragonia Burghesiæ Gentis magnificentissima, vastissimis ædibus, pluribus locis extructis, regiis plantationibus & ambulationibus, luculis, hortis, pomariis, viridariis, leporariis, aviariis, ceterisque deliciis tantum cum antiqua Lucullana non certante, hæc veterum villarum Tusculanarum adhuc extant monumenta.

I.

IMP. CAES. M. AVRELIO . AN
TONINO . PIO . FELICC. AVG
PRINCIPI . IVVENTVTIS . NV
MINI . PRAESENTI . RESTITV
TORI . ET . CONSERVATORI
SEMPER . VITAE . ADQVE
DIGNITATIS . SVAE . DE
VOTISSIMVS . NVMI
NI . EIVS
M. AEMILIVS . MACER
FAVSTINIANVS
V. C.

In hujus latere sinistro

DED. XVIII. KAL
SEPTEM
C ATIO SABINO II ET CORNE
LIO ANNVLINO . CoS

Excripsit Lupius, villa Mondragonia Burghesiorum Tusculi, e basi marmorea ibidem extante, post difficillime lectas musco obsitas literas.

DIS

II.

DIS. MANIBVS
L. ANNAEI
NYCHI
ANNAEAE
SATVRNINA . ET
IVNIANA . OPTIME
DE PATRE . SVO . MERITO

Excripſit Lupius ibidem e cippo ſepulcrali pro baſi ſtatuæ ſedentis, ad theatrum fontium conſtituto.

III.

DIS MANIBVS
FLAVIAE AVG. L
DAPHNE
CRESCENS AVG. L
A RATIONIBVS
SORORI

Excripſit idem ibidem ex ara grandi, quæ pro fulcro dimidiæ Gigantææ ſtatuæ eſt, Antinoum repræſentantis.

IIII.

C. IVLIO . C. L	*Intra coronam.*	C. IVLIO . C. L.
METRODORO	*forte lauream*	AGATHOPODI
IVLIAE . C. L.	C. IVLIO . C. F	IVLIAE . C. L.
PHERVSAE	METRODORO	SYMPHERVSAE
C. LV . LIO *ſic* . C. L.	VIX. ANN. IIII.	F A
MERCV.RIA.LIS. VI.XIT	MEN : : : IIII	
. A. N. *ſic* XIX	D : : : XVII	

extra coronam

SIBI E SVIS
POS . TERI *ſic* . QVE . AEVO *ſic* RVM

Ex-

Excripsit Lupius in eadem villa, e sepulcrali lapide, Faustinæ Augustæ dimidium Colossææ statuæ sustentante. Contulit Lesleus; & ipse vidi.

V.

D. M.
AVRELIAE STATILIAE
AGATHONICES FILIAE
DVLCISSIMAE QVAE
HIC SITA EST
ET VIXIT ANNIS XVII
MENSIB. VII. DIEB. XII.

Idem ibidem, e sarcophago aquas fontis excipiente. In villa autem Falconeria, quæ de prioris domini nomine *Rufina* dicitur; quamque Alexander Falconerius Cardinalis amplissimus, ædibus speciosissimis, sacello ornatissimo, portis, aditibusque eximiæ structuræ, pomariis, plantationibus, ambulationibus, ceteroque apparatu omni reddidit instructissimam & copiosissimam; hæc vetera monumenta nondum periere; quæ prostantia sic Lupius recensuit.

VI.

SOSIMO
STRVCTORI
LOGVS . DE . SVO
POSVIT . CONS
V. A. XXIII.

Hunc tamen lapidem non excripsit ipse Lupius, sed suis epigrammatis antiquis inseruit in fide Pa-

tris Alexandri Leslei Soc. Jesu Scoti, antiquitatis vestigatoris pariter solertissimi. Lapis idem apud Barnabam 34. Mattejum pro *V. A. VII.* exhibet V. A. XXIIJ. & ligones duos, acutum alterum, alterum vero hebetem instar batilli, repraesentat. Si autem hic Sosimus structor fuerit materiarius, ut insculpta instrumenta videntur innuere; & uxorem habuerit, quae de suo, ut exhibere videri possit lapis, monumentum illi posuit; septem tantum annos vixisse, & artem suam exercuisse non potuit. Quare Matteii recensio anteferenda esset. Si tamen *Structor* nomen tantum fuerit hominis, non artificis; nec illae siglae *CONS* conjugem significent, sed CONSERVUM, ut verisimilius est; lectio etiam Lesleana stare, ac probari poterit.

34. P. 81. Memor. del Tuscol.

VII.

- - - - - - - - M. F. VEL
- - - - - - - - O. PRAEF. PR
- - - - - - - - - - VEL. PATER
- - - - - - - - - - - MATER
- - - - - - - - - - - - ORO R

Ex ingenti marmoreo fragmento in eadem Falconeria Tusculana villa excripsit idem Lesleus apud Lupium. In villa autem Roccia haud ita procul a veteri Ciceronis Tusculano, amplis aedibus, & percommodis hortis ornata, recensiti sunt lapides isti.

VIII.

VIII.

ΜΑΡ. ΟΥΛ. Π. ΦΙΡΜΟΝ. ΔΟΜΕC
ΤΙΚΟΝ. ΑΡ. ΧΙΕ. ΡΕΑ. ΤΟΥ. CΥΝΠΑΝ
ΤΟC. ΞΥCΤΟΥ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΞΥCΤΑΡ
ΧΗΝ. ΚΑΙ ΕΠΙΒΑΛΑΝΕΙΩΝ. CΕΒΑC
ΤΩΝ. ΥΙΟΝ. ΜΑΡ. ΟΥΛ ΔΟΜΕCΤΙΚΟΥ
ΕΦΕCΙΟΥ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΑCΤΟΥ. ΠΕΡΙ
ΟΔΟΝΕΙΚΟΥ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ. ΑΡΧΙΕ
ΡΕΩC. ΤΟΥ. CΥΝΠΑΝΤΟC ΞΥCΤΟΥ
ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΞΥCΤΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ ΕΠΙ
ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. ΚΤΙC
ΤΟΥ ΤΟΥΤΕΜΕΝΟΥC. ΚΑΙ
ΤΩΝ. ΕΝ ΑΥΤΩ. ΑΝΑΘΗ
ΜΑΤΩΝ. CΥΝ ΚΑΙ. ΤΟΙC ΘΕΟΙC

Excripſit Lupius e baſi marmorea, ad ingreſſum villæ Rocciæ in Tuſculano. Noſque ſic interpretamur.

Marcum Vlpium Firmum Domeſticum Pontificem Omnis Xyſti Perpetuum Xyſtarcham Et Superbalnea Auguſta ſive Auguſtorum Filium Marci Vlpii Domeſtici Epheſii Pancratiaſtæ, Periodonicæ Paradoxi, ſcilic. Admirabilis, Pontificis Omnis Xyſti Perpetui Xyſtarchæ Et Super Balnea Auguſta Conditoris Agri Sacrati Et Votivorum Donorum In Ipſo Cumque Diis. Fuit autem *Xyſtarches* ſive *Xyſtarcha*, Princeps *Xyſti*; qui locus fuit olim porticibus ſeptus, in quo ludi exercebantur. *Pancratiaſtes* vero athleta fuit, ſive Luſor, qui totis viribus roboris ſui periculum faciebat, ſaltu, curſu, diſco, jaculo, lucta. Hæc enim quinque ludorum genera *Pancration* h. e. *omne robur* a Græcis dicta ſunt. De quibus Simonides 35.

35. *In Antholog. ep. Græcor.* c. 1.

 Γσθ-

Ἴσθμια καὶ πυθοῖ Διοφῶν ὁ φίλωνος ἐνίκα,
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Alii tamen Victorem quinque ludorum memoratorum *Quinquerionem* nominaverunt; & a Pancratiaste alium fuisse crediderunt, Aristotelis testimonio in primo Rethoricorum, capite quinto suffulti. Dictus vero fuisse perhibetur *Quinquerio* Græcis πένταθλος. *Periodonices* autem sive *Periodonica* vocabatur Victor quatuor celeberrimorum in Græcia certaminum, scilicet Isthmiorum, Olympicorum, Nemeorum, Pythiorum, in quibus omnibus, qui vicisset, *Circuitum Victoriarum* peregisse dicebatur. unde *Periodonices* nominabatur, a *Periodo, Circuitu.* De his quatuor Ludorum certaminibus pulchre Archias 36.

36. ibid. ep. 1.

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί.
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο
Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quare, sententia Tusculani nostri hujus lapidis hæc est; quod Collegium aliquod athletarum, qui recitatis hactenus certaminibus exercebantur in Xysto, qui loco hujus villæ fuit, forte Augustorum, elegerat Marcum Ulpium Domesticum Pontificem sacrorum, quæ fiebant diis, in quorum honorem ludi primitus fuerant instituti; eumdemque Principem perpetuum Xysti creaverat. Hic autem filius fuit Marci Ulpii Domestici senioris, Ephesii, qui in omnibus certaminibus victor fuerat;

rat; & in omni ludorum genere admirabilis ſemper: idemque Pontifex eorumdem ſacrorum, & totius Xyſti princeps perpetuus fuerat; & Balneorum Auguſtorum, quæ circa locum eruti hujus lapidis extitiſſe credenda ſunt, præſes; quemadmodum Ulpius filius. Porro M. Ulpius Domeſticus pater fundaverat Agrum ſacratum diis Ludorum præſidibus; & votivas victorum tabellas de ſacrario ſuſpenderat; deorumque ipſorum ſtatuas inſculpendas, & collocandas ibidem curaverat. τέμενος enim partem agri abſciſſam ſignificat, & ſepto incluſam, diiſque conſecratam. reſponderetque noſtris ſeptis, quæ dicimus, *il Sacrato, il Campo Santo, il Ricinto della Clauſura ſacra*. Statuæ vero deorum, quas hoc loco M. Ulpius Domeſticus pater conſtituerat; numinum ludis præcipuis præſidum fuiſſe, credimus; ſcilicet Jovis, Apollinis, Neptuni ſive Palæmonis, & Plutonis.

Ceterum in eadem Roccia villa, e baſi inverſa, & literis ad Topiaria converſis, in ipſo aditu villæ Lupius alium lapidem ſic excripſit:

IX.

M. PETRONIO . M. . . . .
QVIR. HONORATO . . . . .
PRAEF. COH. I. RAETORV . . . .
TRIB. MILITVM . LEG . . .
MINERVIAE . P. F. PRAE . . . .
ALAE. AVG. II. P. F. THRAC
PROC. MONETAE . PROC. 7 . . . .
HERED. PROC. PROVINCI . . . . .

BEL-

BELGICAE . ET . DVARVM . . . .
GERMANIARVM . PROC . . . . .
A RATIONIBVS . AVG . . . .
IVLIVS LVPERCVS . ET . CIA . . .,
VICTORINA . EX . BELGICA . . . .
TREVERI . AMICO . OPTIMO . ET . PRAESIDIO . SV

Ibidem pariter Archangelus Contuccius Soc. Jesu, Lupio dictante, insequentem excripsit, ex cippo prostante

X.

DIS . MANIBVS
M. PVBLICI . M. LIB. VNIONIS
TE . ROGO . PRAETERIENS . FAC
MORA . ET . PERLEGE . VERSVS . QVOS . EGO
DICTAVI . ET . IVSSI . SCRIBERE · QVENDAM
EST . MIHI . TERRA . LEVIS . MERITO . SED . QVIESCO
MARMORE . CLAVSVS . REDDIDI . DEPOSITVM
COAGLAVI . SEMPER . AMICOS . NVLLIVS . THALAMOS
TVRBAVI . NEMO . QVERITVR . CONIVNX . KARA
MIHI . MECVM . BENE . VIXIT . SEMPER . HONESTE
PRAESTITI. QVOD. POTVI. SEMPER. SINE. LITE. RECESSI
VNVS . AMICVS . ERAT . TANTVM . MIHI . QVI
PRAESTIT. OMNIA . SEMPER . HONESTE
T. FL. HERMES . V̄. Q
TVNC . MEVS . ASSIDVE. SEMPER. LVXIT. AMICE. FOCVS
FECIT . VNIO . SIBI . ET . GALLIAE . TYCHE
OPTIMAE . CONIVGI . ET . AEMILIO
ISIDORO . VERNAE . SVO . ET . POSTERISQVE
SVORVM . ET . CONIVGIS . SVAE
ET . ISIDORI . ET . EORVM . POSTERISQVE . ET
M. PVBLICIO . FELICI . ALVMNO . SVO

At

At in villa Ciampina ex lapid. ſepulcralib. hæc deſcripſit Lesleus apud Lupium.

XI.

D. ❦ M
CASSIAE MAGNAE . VIXIT
AN. XX. FECIT
MATER . BAC
CHIS. FILIAE
PIENTISSI
MAE

XII.

D. M.
L. IABOLENO
ONESIMO
LVCIA EPITEVXIS
FILIO PIENTISSI
MO . FECIT

In baſi vero e lapide Tiburtino ibidem extante, ad cujus latera anchoræ inciſæ duæ, hæc legit, & inde excripſit idem Lesleus.

XIII.

CL. IRENICO
FILIO . DVLCIS
SIMO . CL. EVTY
CHES ::: S FECIT
::: DECIA :::::::
FIΛIIA ::::::::::
FECERVNT

Et

Et e ſepulcrali cippo idem ibidem.

XIV.

OSSA . FAB
SVB FVND.
TRIBVNALIS
TERRA . TECTA

Porro in villa Piſcatoria Tuſculana, ſcilicet Petri cognomento Piſcatoris Patritii Romani, antiquæ probitatis viri, qui prædium ſuum circa villam, commodis, fructibus ac deliciis omnibus, ut afflueret, maxime curavit, curiſque ſemotus urbanis, fumum & opes ſtrepitumque Romæ procul & e ſuis Tuſculanis clivis ridere ſolitus fuit; quique, Tuſculani illius Catonis Majoris inſtar, ruri ſuo, ædes commodas binas laute, ſed non luxurioſe ornatas habuit; vineam, hortum, viridarium, pergulas, ſilvas cæduas, alias ad aucupium, fontes, apothecas, oporothecas, cellas olearias, apiaria; & univerſam demum ruſticam ſupellectilem cultiſſimam, intra non nimis vaſtum prædii ſpatium; cuique, pro veteri optimi viri nobiſcum amicitia, tantillum hoc veræ laudis omitti non debuit: in villa, inquam, Piſcatoria, hæc Lupius vetera monumenta deſcripſit. E cippo marmoreo notis peſſimis exarato.

XV.

D. M
MANSVETI
STERTINI - QVARTI -
A - MANV -
CARPVS - FRATRJ

Et

Et ex marmore cubico optimis notis idem ibidem.

XVI.

. . . RNELI . M. F. PVP
MAMVLLAI
M. CORNELI . M. F. F.
MAMVLLAI
. . EPPVLLEIAI . A. F. VXORIS

Ex alio pariter marmore ibidem in podio fenestræ ad Eurum extante grandibus & optime incisis literis, Lupius.

XVII.

M. VERGILIVS . M. L. ANTIOCHVS . VNGVENT
VERGILIA . M. L HELENA
. . . . GILIVS . M. L. HILARVS MENSOR

Ad vineam autem Cinciam, gentis Romanæ nobibilissimæ atque antiquissimæ adhuc florentis, in prægrandi termino ex Albano saxo, Via Latina, nono circiter ab Urbe lapide, legit Lupius, atque descripsit.

XVIII.

CN DIO : : : : LI : :
ET · SVIS
ET. M. CINCIO STEPHANO
ET SVIS
INFR PXIII. IN. AG : : : :

Et ex marmore diffracto ibidem extante, postea Romam translato, excripsit Lesleus trunca ista elementa.

XIX.

- - - ΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΓΟΝΕΟΙϹΙΝ ΑΓΝΟΙϹ
- - - ΤΡΥΦΕΡΟΝ ΕΒΡΙΩ ΑΡΙϹΤΟΚΡΑΤΗ
- - - ΤΡΙ ΑΓΑΤΟΚΛΙΕΙ ΝΕΙΚΗ

V Sic

Sic; ex accuratiore, per Lupium habita, recensione. Et in villa Gavotta Tuſculana pariter apud Lupium.

XX.

- - - F. M. N. SILANV - - -
- - - N. XVIII
- - - R. CIVIS . E. - - -
- - - - AESARIS . AVGVS - - -

In limine quoque privatæ domus, in oppido *Fraſcati* Lesleus apud Lupium.

XXI.

D. M
ANTHVSAE
VIXIT . ANNIS . XXV
MENSIBVS VII
DIEBVS . XVIII
THALASSVS . ET . IONICVS
CONIVGI . BENEMERENT
FECERVNT

Ubi ſingulare hoc certe notandum eſt; duos huic feminæ maritos fuiſſe, vel ſimul eodem tempore, quod apud Romanos ferme inauditum; vel quod prius repudiata ab uno, alteri nuptui tradita fuerit. Quod tamen vix crediderim; cum nota illa BENEMERENTI, conjugium pacificum ab utroque exactum ſignificet. Quid cenſendum, Eruditis veſtigandum relinquam. Denique teſtacea fragmenta figlinarum veterum, impreſſa literis extantibus, in vinea Collegii Tuſculani Soc. Jeſu, ad viam Tuſcula-

lanam præſentem, poſt decimum ab Urbe lapidem, Lupius idem ſic excripſit.

XXII.

OP. DOL. EX . PRAED. AVG. N. FIG
SO - - IANAS MAIORES

Literæ in circuitu ſigilli erant, in cujus medio ſtellula impreſſa.

XXIII.

CN DOMITAREGNOT
In medio. AFEC

Et ex laterculo, in vinea Amadeorum Tuſculana, effoſſo, mox in Kircherianum Collegii Romani Muſeum intra Urbem translato, literis extantibus in circulo diſpoſitis.

XXIIII.

DOL. EX PRÆD CAESAÑ.
C. AQVILI APRILIS in medio palma.

Hactenus Tuſculanarum villarum monumenta per Lupium diligentiſſime recenſita. Subdenda nunc alia ſunt, quæ ſparſim in aliis auctoribus reperta Barnabas Mattejus in unum collegit, atque edidit 37. Ac primo quidem ad locum in Agro Tuſculano, qui vulgo dicitur *il Centrone*, ſive ab Eruditioribus *le Grotte di Lucullo*, hæc reperta monumenta ex Fabretto recenſuit: qui tamen illa ſe legiſſe in villa nobilium de Turre extantia, Via Aurelia teſtatur; quo ex Tuſculano Luculli translata fuiſſe dicenda ſunt. Quod & aliis plurimis lapidibus

37. *In lib* Memor dell'antic. Tuſcol. *paſſim*.

V 2

bus inſcriptis in eamdem villam comportatis evenit. quodque ipſum Mattejus tacuiſſe non debuit.

I.

TI CLAVDIVS
CHLOREVS
NERONIS . CLAVDI
CAESARIS . AVG
CORPORIS CVSTOS
DEC. SPICVLI
NATIONE BATAVS
VIX. ANN. XLII SE POSVERVNT 38.
TI. CLAVDIVS . DIADVMENVS . ET
CENSOR . DEC. SPICVLI
HAEREDES EIVS EX
COLLEGIO GERMANORVM

38. *Vide Fabret. cap.* 10. *n.* 97.

II.

ALCIMACHVS
NERONIS . CLAVD
CAISAR . AVG. GER
CORPOR. CVST
DEC. ALBANI
NAT. BATAVS
VIX. ANN. XXXV
H. S. E. POSVIT
BATAVVS . DEC. MONTANI
HER. EIVS . EX COLL. GER

Ex hiſce lapidibus colligunt quidam hoc loco, Germanorum ac Batavorum militum, qui Cæſarum corpus cuſtodiebant, Caſtra ſive Excubias fuiſſe; vel etiam Batavos Centronios milites hic habuiſſe ſtativa. Quod, poſt Luculli longe tempora, factum fuiſ-

fuiſſe, negare non poſſim. Centronii villam alii hoc loco extitiſſe crediderunt, nomine ducti, quo hæc vetuſta ædificiorum fragmenta appellantur *i Centroni*, ſive *le Grotte del Centrone*. Cum tamen etiam in Agro Tiburtino vetuſta ædificiorum rudera eodem nominentur vocabulo; id fit incertum. De Centronii enim villis, Tiburtina, Præneſtina, & curvo Littore Cajetæ poſita tantum, Juvenalis meminit. Cujus teſtimonium, ubi de Tiburtinis ac Præneſtinis agemus, melius illuſtrabimus. Notandum interea, loco in Agro Tuſculano, qui dicitur *li Centroni*, ſubterranea nunc quoque extare ambulacra permulta contigua invicem; quorum figuram deſcripſit, & diligentiſſime ſpatii menſuras eſt dimetitus P. Athanaſius Kircherius in ſuis de Veteri ac Novo Latio, Commentariis. Unde etiam Mattejus in ſuos tranſtulit, noſque huc inſeruimus. Longitudo itaque horum ambulacrorum palmos ducentos, ad fornices uſque a terra, altitudo palmos viginti, ac totidem latitudo extenditur. Quod tamen ceterorum in medio extructum eſt, idem omnium longiſſimum & altiſſimum. ſiquidem altitudinis eſt palmorum ſex & quadraginta, longitudinis ſexcentorum. in hoc ſtagnum optimæ aquæ ſcatet.

Dum autem Ædes Sanctæ Mariæ in Vivario intra novum Tuſculum anno A.V.P. CIƆIƆCCIV. reſtitueretur; Ara ingens marmorea ibidem exiſtens ad vicinam ædiculam Fratriæ translata fuit. Ea his eſt inciſa literis,

D. M

D. M
FABIAE
AOTIIVSAE
SEX ONVSSANIVS
SEX. FI
NEPOTIANVS
MARITVS FEC

Intra religiosa Camaldulensium septa apud montem Tusculanum hæc Popiliæ Gentis reperta sunt monumenta.

I.

C. POPILIO
TAYRO
LIBERTO
CARISSIMO
POPILIVS
PIDOC.

II.

C. POPILIVS C. L.
PHILEROS ACQVITAS
UNGVENTARIVS

Tertium etiam ad Popilios pariter pertinens, verum in alia Tusculani agri parte sic legebatur.

III.

D. M
POPILIAE C. F.
SATVRNINAE
C. SEPTIMIVS ALEXANDER CONIVGI
B. M. FEC.
CVM QVA VIXIT
SINE QVERELA
ANN. XLV.

ET

ET SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBERTA
BVSQVE SVIS
POSTERISQVE EORVM
IN FRON. P. VIII.
IN AGRO P. III.

Prope ipſum locum, juxta montem Tuſculanum erutus lapis, in hæc verba.

MARCO BEBIO
BRIX.
DICTATORE

Et alius in hæc, grandioribus notis.

M. DURMIUS
C. CAELIUS C. F.
EX. S. C.

In ipſo autem Tuſculano monte, juxta Sacchettam villam, nunc Rufinellam Collegii Romani Soc. Jeſu, hic

D. M.
SEX COC CE
IO. SEM NO. LI BER
TO, IN COM PA RA
BI LI

Infra vero, juxta Falconeriam.

M. CVSINIVS. M. F. VEL
AED. PL. AERARIO PRAEF. PR
M. CVSINIVS. VEL. PATER
FICTORIA C. F. MATER
CVSINIA M. F. SOROR

Hunc lapidem jam mutilum ex dimidio legit Lupius, ex cujus recenſione ſupra nos quoque attulimus;

mus; eſtque inter Lupianos ſeptimus. Integrum vero ſic ex Fabretto Mattejus deſumſit. Ex cujus pariter recenſione eſt inſequens, nono ab Urbe lapide, in aſcenſu primo Viæ Tuſculanæ, ad Ædiculam Sancti Franciſci Xaverii, juxta Diverſorium vulgo *L'Oſtaria di Vermicino*, in Vinea Tuſculani civis detectus.

RHANIDI SVLPICIAE . L.
DELICIO
NATA BREVI SPATIO PARTV
SVBIECTA NEC ANTE
TESTATVR BVSTO TRISTIA
FATA RHANOS
NAMQVE BIS OCTONOS
NONDVM COMPLEVERAT ANNOS
ET RAPTA EST VITAE RAPTA PVERPE
RIO
39. *Vid. Fabret. p. 44. c. 3.* 39. PRAENTIS TVMVLVS DVO
FVNERA CORPORE IN VNO
EXEQVIAS GEMINAS NVNC CI
NIS VNVS HABET

In hujus lapidis altera fronte ſic.

SVLPICIA TRIONIS L.
RHANIS

In prædio autem, quod dicitur *La Tenuta di S. Matteo*.

EX HISPANIA VLTERIORE PROVINCIA
BAETICA MVNICIPIVM CONCORDIA
40. *Vid. Fabret. p. 105. c. 2.* IVLIA NERTOBRIGENSES PVBLICE 40.

Ibidem quoque in arcula marmorea, ubi cadaveris reliquiæ, ſic ſcriptum erat:

D.O.M.

D. O. M.
IOVE NEQVE GENIO
VTARIS NISI
LOTA MA
NV

Utrum autem Christiani, utrum profani hominis hoc sepulcrum, incertum redditur. primæ literæ Deum Optimum Maximum, quem Christiani colimus, appellare videntur; reliquæ profanorum adagium continent. indecisam nos peritiori judici litem decidendam relinquimus. Et juxta villam Rocciam.

P. LICINIVS . P. L.
PHILONICVS

P. LICINIVS . P. L.
DEMETRIVS PATRONO

Hos Lucullorum e Licinia Gente Libertos fuisse, non male dixeris. ibidem insculpta capita utriusque Licinii, scilic. Philonici & Demetrii. malleus, incus, forcipes, scalprum, arcus. & iterum incus, cultrum, fasces cum securi, & virga.

Loco, quem vulgus appellat *Cocciano* quasi *Coccejanum*, Coccejorum villam, in tumulo sepulcretum inventum est, ubi testaceæ urnulæ, sive ollæ cinerariæ multæ; aquæductus etiam seu vaporarii ad thermas ex tegulis arcte simul compactis atque linitis. In alia vero vinea Mattejus ipse reperit aram marmoream candidam, altam palmos tres ac semis, latam palmum unum cum unciis tribus ac semis. In hujus lateribus hinc sympulum inde patera de more. in fronte autem hæ literæ exiguo ductu ac malo incisæ

X D.M.

D. M.
VERRIVS FRON
TO VERRIO MAR
CIANO PATRI DVLCISSIMO
ET VERRI
AE SVRERE SORORI
DVLCISSIMAE Q. VI
XIT ANNIS XVIIII ME
NSIBVS VIIII. PATER VI
XIT ANNIS XCI. MEN
SIBVS III . FECIT

Ibidem erutum & hoc fragmentum marmoreum majoribus literis optime excisis, & tertiam palmi partem altis

C. IULIO EROTI
MYRSINI
AMMIAE NUTRI....
IULIAE HELPI......
AREC.....

In vinea, quam claudit prædium nomine *La Tenuta di S. Croce*, vetusti muri permulti sunt cum thermarum, & castellorum ad aquas cogendas vestigiis non obscuris. pavimentorum quoque musivo, quod vocant, opere compactorum reliquiæ conspicuæ. Hic anno a V.P. CIↃIↃCLXI. lapis erutus, qui nunc in cellario privato in urbe *Frascati* prostat, his literis

D. M
EVHEMER
TRYPHOSAE
CONIVGI
B. M
FECIT

At

At in M.S. Codice anni CIƆCCCC, ab Orbe Reparato, carmen, inter cetera deſcriptum erat, quod in Ædibus collapſis Luculli in Tuſculano, marmori inſculptum fuiſſe, auctor ſive ſcriptor Codicis aſſerebat. Id tale fuit.

Hic ſitus eſt Cœli quondam Pars Maxima Phœbus.
Affectus omnes poſſidet iſte Lapis.
Vix conſummavit ſeptem Quinquennia Luſtri.
Oſcula Ferventem nec tenuere Animam.
Quod ſi mutari potuiſſent Fila Sororum.
Gauderet condi Maximus Hoc Tumulo.

Porro inter Tuſculanas villas, plures fuere Domus Auguſtæ, quæ ab Auguſto, ſcilicet, ad ſucceſſores Imperatores longa ſerie transferebantur; donec cum dominis ipſa ædificia, atque adeo ipſæ quoque ruinæ, perierunt. Certe Tiberium Capreis aliquando Romam accedentem, in Tuſculano diverſatum legimus: & Flavios Veſpaſianum Titum ac Domitianum Imperatores Tuſculana delectatos ruſticatione, innuere videtur lapis, Titum Flavium Titi Auguſti Libertum exhibens Procuratorem villarum Tuſculanarum. En illum.

GAVIAE 41.
HELPIDI
VXORI SANCTISSIMAE
T. FLAVIVS . AVG. L
E. P. AP. HR. A
PROC. VILLARVM
TVSCVLANARVM

41. Gruter. p. 112.

 Præ-

Præter hos, alios quoque Viros clarissimos villas in Tusculano habuisse de Veterum testimoniis didicimus. Qualem *M. Scaurum* L. Syllæ Dictatoris privignum. De quo 42. Plinius: *Hic fecit in ædilitate sua opus maximum omnium, quæ unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit.* Cujus postquam vastitatem, molem, pretium, ac cetera mirabilia ornamenta, descripsit Plinius; mox subdit: *Sed & reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque Choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quæ superfuerant quotidiani usus deliciis; incensa villa ab iratis servis, concremarentur ad* HS. *millies.* Hanc Scauri villam, eamdem cum Tusculano Ciceronis fuisse, sunt qui existimant, inde ducti, quod M. Scaurus Syllæ privignus foret, & ab vitrico forte Tusculanam hanc villam accepisset. Quam postea Cicero coemisset; cum Syllæ prius fuisse Tusculanum Ciceronis, jam constet. Verum id incertum est, num scilicet M. Scauri villa aut a Sylla donata privigno fuerit; aut, si id etiam verum, eadem fuerit, quæ postea Ciceronis. Cum potius oppositum colligi posse videatur exinde, quod neque Cicero, neque Plinius, qui Tusculanum Ciceronis, antea Syllæ fuisse scripserunt, ullam de Marco Scauro celeberrimo ceteroquin ac splendidissimo viro, mentionem fecerint.

42. *Lib.* 36. *c.* 15.

Ceterum *C. Asinius Pollio* Augusti Cæsaris familiaris, cui in Eclogis sæpe Virgilius adblanditur,

tur, Livii æmulus in hiſtoria; propter quod illum *quandam Patavinitatem* habere dixit, villam habuit in Tuſculano, in qua & ſupremum diem obivit, Euſebio teſte 43. . *Aſinius Pollio Olympiade* CLXXXXV. *Orator & Conſularis, qui de Dalmatis triumphavit, octuageſimo ſuæ ætatis anno, in villa Tuſculana moritur.* Et *C. Cilnius Mecœnas* eques Etruſco ab ſanguine Regum, primus amicorum Auguſti, idemque poetarum patronus unicus & ſingularis, villam etiam in Tuſculano, ſicut in ceteris ſuburbanis deliciarum locis, habuiſſe eruitur, ex Horatii ad ipſum verſibus. Ex quibus Horatius ipſe dono accepiſſe Tuſculanam nitidam villulam ab Mecœnate dignoſcitur. En illos 44. .

43. *In Chronic.*

44. *Epod. 1.*

Libenter hoc, & omne militabitur
Bellum, in tuæ ſpem gratiæ.
Non, ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis:
Pecuſve Calabris, ante ſidus fervidum,
Lucana mutet paſcua:
Nec ut SUPERNI *villa candens* TUSCULI
Circæa tangat mœnia.
Satis ſuperque me benignitas tua
Ditavit. haud paravero
Quod, aut, avarus ut Chremes, terra premam;
Diſcinctus, aut perdam, ut Nepos.

Forte fuit hæc villa in jugis Tuſculanis ſita, atque eadem, qua Horatius ipſe ad Mecænatem meminit,

nit, eum frequentissime, quemadmodum Tiburtino & Æsulano suo, delectatum 45.:

45. Lib. 3. Od. 29.

Nec semper udum Tibur, & Æsulæ
Declive contempleris arvum, &
TELEGONI JUGA PARRICIDAE.

Quamquam alii melius, hic loqui poetam, interpretentur, de voluptate, quam frequens capiebat Mecænas in prospiciendo Tiburtinos, Æsulanos, & Tusculanos montes, de Turri sua Mecænatiana Romæ, quam altissimam extulerat. Siquidem iis versibus Horatius Mecænatem alloquitur Romæ manentem; illumque invitat, ut ex urbanis negotiis sese eripiat, & ad ocium rusticum conferat. Quod manifeste patet ex antecedentibus & subsequentibus: ait enim prius: *Eripe te moræ; nec semper udum Tibur.* cetera. subsequentibus autem: *Telegoni juga parricidæ. Fastidiosam desere copiam; & molem propinquam nubibus arduis; omitte mirari beatæ fumum & opes strepitumque Romæ.* Et infra: *Tu Civitatem quis deceat status, curas; & Urbi sollicitus times.* cetera.

At C. Plinius Cæcilius Tuscam suam villam Apollinari amico maxime commendans, & Tusculanam habuisse meminit 46.. *Habes caussas cur ego Tuscos meos* TUSCULANIS, *Tiburtinis, Prænestinisque meis præponam. Nam super illa, quæ retuli, altius ibi otium & pinguius; eoque securius. Nulla necessitas togæ; nemo accersitor ex proximo. Placida omnia & quiescentia: quod ipsum salubritate regionis, ut purius cœlum,* *ut*

46. Epist. 6. l. 5.

ut aer liquidior accidit; ibi animo, ibi corpore maxime valeo. Nam ſtudiis animum, venatu corpus exerceo. Mei quoque nuſquam ſalubrius degunt. Vſque adeo certe neminem ex iis, quos eduxeram mecum (venia ſit verbo) ibi amiſi. Dii modo in poſterum hoc mihi gaudium, hanc gloriam loco ſervent! Frequentes autem, præcipue per æſtatem, ruſticationes Romanorum in Tuſculano ſignificavit Statius Papinius his verſibus: 47. 47. Silvar. l. 4. carm. 4.

Jam terras, volucremque polum, fuga veris aquoſi
Laxat, & Icariis cœlum latratibus urit.
Ardua jam denſæ rareſcunt mœnia Romæ.
Hos Præneſte ſacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut TUSCULA PROTEGIT UMBRA.
Tiburis hi lucos, Anienaque frigora captant.

Et in laudibus villarum Tiburtinarum Manlii Vopiſci 48. 48. Silvar. l. 1. carm. 3.

Cedant TELEGONI, *cedant Laurentia Turni*
JUGERA.

Tum Martialis ad Julium Martialem cognominem, ejus hortos Janiculenſes a proſpectu ſuburbanarum ruſticationum commendans 49. 49. L. 4. ep. 64.

Julj jugera pauca Martialis
Longo Janiculi jugo recumbunt.
Hinc ſeptem dominos videre montes,
Et totam licet æſtimare Romam:
Albanos quoque, TUSCULOSQUE COLLES,
Et quodcumque jacet ſub Vrbe frigus.

CAPUT VI.

De Tusculanorum Diis, ac Templis.



UAMVIS easdem religiones, & ea sacra, quæ Latinis reliquis erant, Tusculanis quoque fuisse, minime sit dubitandum; peculiaria nihilominus eosdem habuisse quædam, Veterum testimoniis docemur. Itaque Majum mensem, de Jovis nomine, quem *Majum* quasi majorem ceteris diis, Tusculani nominabant, ab iis appellatum tradit Macrobius de Majo mense differens [1]: *Sunt qui, hunc mensem ad nostros Fastos a Tusculanis transisse commemorent, apud quos nunc quoque vocatur Deus Majus, qui est Juppiter, a magnitudine scilicet, ac majestate dictus*. Jovem etiam quemdam *Tusculanum* peculiari ritu coluere, quem alii *Latialem* sive *Latiarem* nominabant. Quin & originem oppidi ab Ulyssis filio Telegono semper jactantes, Jovem *Dolichenum*, scilicet in Insula Dulychio, quæ etiam *Doliche* dicta est, cultum. Fuit etiam hæc insula prope Ithacam Ulyssis patriam, & Samon, & Cephaleniam, ipsius Ulyssis quondam regnum. Huic facta dedicatio in ruinis Tusculanis, talis reperta est. [2]

1. *Saturnal.* 1. *c.* 12.

2. *Grut. p.* 20.

IOVI OPTIMO . MAXIMO . DOLICHENI . S
T. FLAVIVS T. T. L. ARGAEVS
AR. V. C. D. D.

Nempe: Jovi Optimo Maximo Dolicheni sive Duly-

lychio ſancto Titus Flavius Titorum, vel Tuſculanus Titi Libertus Argæus, ſive Immunis operum, Aram Voto Concepto, ſeu votis conceptis, Dedicavit.

Jovi autem Tuſculano dedicatus Lapis ex Ligorio ita legebatur. 3. 3. v. Tuſcolo.

T. RAMIVS . T. F. PAL. RVFVS
VETERANVS . EX . COH
VII. PRAETORIA . 7. VRI. MAXIMI
VICTORI . IOVI . OPT. MAXIM
TVSCVLAN. CONSERVATORI
SACRVM
V. S. L. M.
L. D. D. D.

Forte ſitus fuit lapis ſub ſigno Jovis in templo ejus Tuſculano; cui Ramius V. S. L. M. Votum Solvit Libens Merito, vel Libero Munere; & huic Signo L.D.D.D. Locus Datus Decurionum Decreto fuit. Ramius idem Tabulam quoque votivam Tuſculano Jovi conſtituit pro ſalute uxoris. Ea ſic habuit. 4. 4. *Ligor. ibid.*

PRO . SALVTE . RAMIAE . AMANNATAE
VXORIS . SVAE . IOVI . OPT MAX
T. RAMIVS T. F. P. RVFVS
VETERANVS
V. S. L. M.

Et in fragmento lapidis in agro Tuſculano detecti, prope locum, vulgo *La Tenuta di S. Matteo*. 5. 5. *Mattejus p. 83.*

I. O. M
MONTVNATES
VICANI LOVANIVS
V. S. L. M.

6. L. 27. De Jovis templo Tusculi meminit Livius. 6. *Ex propinquis urbibus agrisque nuntiata sunt prodigia: Tusculi agnum cum ubere lactanti natum, Jovis ædis culmen fulmine ictum, ac prope omni tecto nudatum.*

Alia quoque Dedicatio Jovi cum Diana communis in Tusculano reperta legitur apud Sponium in hanc sententiam. 7.

7. Sect. 3. p. 88.

IOVI OPTIMO
MAXIMO ET DIANAE
VICTRICI SANCTAE
L. VALERIVS L. F. PALATIN
VASCLARIVS D. D

Utrum autem eodem hi dii apud Tusculanos colerentur in templo, ignoramus. Certe Diana apud ipsos, templo & luco antiquissimo, a Priscis usque Latinis sato, culta est. De quo juvat Plinii verbis sic memorare 8.. *Est in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur, Lucus antiqua religione Dianæ sacratus a Latio, velut arte tonsili coma fagei nemoris. In hoc arborem eximiam ætate nostra adamavit Passienus Crispus bis Consul, Orator, Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarior postea: osculari, complectique eam solitus, non modo cubare sub ea, vinumque illi affundere. Vicina Luco est ilex & ipsa nobilis* XXXV. *pedum ambitu caudicis*, X. *arbores mittens, singulas magnitudinis visendæ; silvamque sola facit.* Qua vero potissimum Tusculani agri parte fuerit collis *Corne* appellatus, non convenit inter auctores. Quidam enim

8. Lib. 16. c. 44.

enim apud Mattejum meminere, Collem Corne illum esse, in cujus dorso situs est pagus *Monticelli* in Sabinis, haud ita procul Tibure. Verum hi auctores, quicumque tandem ii sint, Plinium non bene legerunt, qui ait, *in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur*. Quo mihi nunc igitur Sabinorum collis? si Corne fuit in suburbano agro Tusculano. Fuerit igitur Sabinus ille Collis, *Collis Corniculus*, ut ajunt, de quo nunc non disputo; Corne tamen Collis, suburbanus Tusculo, minime fuit. Etenim inter utrumque intervalla vides humane commoda. Melius, itaque, ac verius Collem Tusculanum Corne appellatum, in quo Dianæ Lucus consecratus a Latio, illum dicemus esse, cum aliis, qui post villam Montaltam lenis assurgit; in quo villa *Cavalletta* est constituta, nunc *il Piano de Cavalletti*. sic dictus, quod difficilem post ascensum, amoena illa sequatur planicies. In eo Luco templum Dianæ non defuisse, quamquam Plinius illud non meminerit, ex consuetudine tamen Priscorum Latinorum, certum est. Cujus ruinas & vestigia deprehensa eodem loci referunt hujusce sententiæ auctores. Cui suffragari & illud potest, Dianæ cultum in hac vicinia fuisse frequentissimum; cum celebre Dianæ templum in Algido prope esset: nec adeo longe celeberrimum Aricinum ac Nemorense Dianium, ubi templa pariter cum lucis ei numini sacratis fuere. Ceterum, nonnulli, Collem Corne Tusculanum eo loco fuisse, autumant, qui vulgo

dicitur *La Cornaſella* in vicinia recentis Tuſculi. cui opinioni nominis ſimilitudo *Corne* & *Cornaſella* favere videtur. Attamen eruditiores nomen loci contendunt eſſe non quidem *Cornaſella*, ſed *Cornuſella*; & a Cornuficiis malunt derivari, quaſi fuerint ibi prædia Cornuficiorum. Quæ tamen ſententiæ (ſi morari in conjecturis ſectandis prudenter poſſimus) inter ſeſe minime pugnant; cum *Cornuficium* ipſum nomen a *Cornufaciendo* ortum duxerit; quemadmodum in Gente Cornuficia Lanuvina recenſenda nos demonſtravimus. Potuit itaque locus & *Corne* antiquitus vocari, & Cornuficiorum prædia continere, & modo *Cornuſella*, & *Cornaſella* ab utraque origine dici. Jugera quædam agri in hoc loco Dominicus Calcaneus Tuſculanus Collegio Tuſculano Societatis Jeſu fundando legavit; quæ opus ad exitum perducendi exordium fuere. Porro in hoc Colle Corne oppidum fuiſſe primis Latinorum ſæculis, ajunt *Cornu* appellatum, unde *Corni* 9. Populi. De quibus Libro hujus Operis primo.

9. Cap. 3.

Junonem quoque templo cultam apud Tuſculanos Dedicatio illi facta in ara marmorea, in Tuſculanis Mutii Maximi prædiis eruta, ſignificaſſe viſa eſt, his notis. 10.

10. ap. Mattejum p. 105.

IVNONI
SACRVM
L. VALERIVS L. F. M. N.
TVSCVLAN.
D. S. P.
D. D.

Et

Et Minervam alia Dedicatio eruta in Tuſculana villa Gavotta, ex Lupii recenſione.

MINERVAE
SACRVM
LL VOLVMNI
VERVS ET SEVERS
PRAEF. COH. TR. MI
PRAEF. EQ.

Ædes certe Caſtoris & Pollucis fuere Tuſculi, de quibus Cicero 11.: *E cœlo tactæ ædes Caſtoris & Pollucis Tuſculi*. De quibus Feſtus quoque ait, duas fuiſſe, interiorem 12. alteram alteri; his ſemideis tamen Ludos Tuſculi celebratos ſolemniter Kalendis Maii, quod Mattejus refert, apud Macrobium non reperj. Juxta has ædes Bibliothecam fuiſſe Græcam atque Latinam in templi porticibus conſtitutam, diſcimus ex Grutero; qui lapidem juxta id templum Tuſculi erutum protulit in hæc verba. 13.

11. *Lib. 1. de Divinat.*

12. v. Stroppus.

13. *Vid. Gruter. in Indic. Officior.*

C. IVLIVS C. L. PHRONIMVS
A BIBLIOTHECA GRAECA

Horum numinum cultum apud Tuſculanos vel a primis Græcis urbis Conditoribus, vel certe poſt pugnam ad Lacum Regillum in agro Tuſculano, cui interfuiſſe hi dii jactabantur, translatum, credimus. Hercules quoque cultus fuit apud Tuſculanos; in quorum agro Ara, eidem ſacra, effoſſa eſt talis.

HERCVLI IN
VICTO SACR
M. AVRELIVS
VOTO POSVIT

Huic

Huic forte dedicatum fuerit id templum, quod apud Rocciorum villam in Tuſculano, ad viam, quæ Romam fert, adhuc extat, figura rotundum, lapidibus quadratis eximiæ magnitudinis extructum; cujus exhibet Mattejus figuram cum janua atque una feneſtra illi imminente. ſi tamen id potius mauſoleum non dixerimus fuiſſe, qualia occurrunt ſimilia juxta Conſulares Vias plura. Eoque magis, quod intra veteris villæ magnifice conſtructæ ſepta, poſitum fuiſſe antiquitus id ædificium, colligitur ex ruderibus balneorum, piſcinarum, & aliarum ædium ibidem detectis. Atque annis abhinc quadraginta, intra ipſius templi, ſive mauſolei rotundi, ambitum, urna ſepulcralis marmorea fuit effoſſa, cum operculo, plumbo ſignato; in qua paucula cinerum veſtigia erant. Ubi & inſcriptos lapides repertos memorant: quos tamen foſſorum avaritia, & ſæculi barbaries nobis invidit.

Poſtque id tempus eodem loco plurium cadaverum oſſa, magnis tegulis operta olim, detecta ſunt; quæ Libertorum ejus, cujus erat monumentum, fuiſſe, merito docti viri cenſuerunt. Ceterum & in ſepulcris templa, ſive ſacella, & aræ alicui deorum fieri conſueverant. & juxta templa, cadavera ſepeliri, quod ex Tullio ad Atticum, præter alia Veterum teſtimonia, quæ adduci poſſent, nobis conſtat. Quare ædificium, de quo quærimus, in Tuſculano, utrumque, & templum ſcilicet, & ſepulcrum fuiſſe, æque commode potuit.

Ce-

Ceteros præterea deos, quos *majorum gentium* vocabant, Martem, Mercurium, Venerem, Saturnum, Cererem, aliosque communes Latinis Priscis, ac deinde Romanis, ab Tusculanis cultos, non dubitamus; & in prædiis ac villis Tusculanis eorumdem monimenta reperta plura jam memoravimus. Peculiariter vero Telegonum urbis Conditorem; quod Livii, Ovidii, ac Propertii interpretes, ad horum auctorum loca, a nobis sæpe jam recitata, in quibus Telegonus Tusculi Conditor dicitur, non vana ducti conjectura, tradiderunt. Cui ego & Circem & Ulyssem Telegoni parentes addiderim; quos tanquam deos patrios, a Tusculanis templo cultos & sacris, existimo; hunc Latinarum urbium morem fuisse, colendi scilicet Conditorem, & Conditoris parentes, apud me reputans. His, puto, facta sacra, quæ *Tusculana* per excellentiam dicta sunt; quibus faciundis & sacerdotes, & sodalitium Tusculi fuisse institutum, nos docent eruti lapides apud Mattejum. Nam in alio.

SODALITIVM
SACRORVM
TVSCVLANORVM

In alio.

C. VALERIO C. F. PAP
MARIANO
HONORES . OMNES
ADEPTO . TRIDENT.
FLAMINI . ROM. ET AVG.
PRAEFECT. QVINQ. AVGVR

AD-

ADLECTO . ANNON. LEG. III.
ITALICI . *SODALI . SACROR.*
TVSCVLANORVM . IVDICI
SELECT. DECVR. TRID
DECVRIONI . BRIXIAE
CVRATORI . REIP. MANT.
EQVO PVBL. PRAEF. FABR.
PATRONO . COLON
PVBLICE

In tertio autem.

IMP. CAES. L. SEPTIMIO . SEVERO
PIO . PERTINACI . AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. VI. IMP. XII. COSS. II. P. P
MARCVS . AVRELIVS . MENOPHILVS
ORNATVS . IVDICIO . EIVS
EQVO . PVBLI. SACERDOS
sic
TVSCOLANORVM . AEDIL. POLAE
CVM . MENOPHILO . PATRE
LIB. AVGG. N.N EX PROCVRAT.
INDVLGENTISSIMO
L. D. D. D

Denique in Tabula ex Tiburtino ſaxo, eruta in Tuſculano.

DIS DEAB. PATR. SACR.
M. TRIVINIVS . M. F. PAL. LIMITANVS
7 COH. VI. PRAETORIAE . PRAEF. FABR.
TVSCVLAN. QVINQVENN. III. D. D.
L. D. D. D.

Trivinius iſte ex Mamilia Tuſculana Gente generoſiſſima forte fuit, ex qua C. Mamilius Limitanus ſeu Limetanus; quandoquidem Trivinius idem Limitani agnomen habuit.

Quæ

Quæ omnia parvus antiquus numus minimi moduli plumbeus confirmat, ab viro clarissimo Joanne Francisco Baldino Congreg. Somaschæ Theologo eximio, & interiori literatura excultissimo possessus, & mihi perbenigne communicatus; quem huic libro repræsentatum fideliter, apponi curavi. In quo adversa facie caput est Imperatoris alicujus, vel ipsius Telegoni Fundatoris urbis, quem tamen non facile dispexeris quisnam sit; cum literis circa: SODALES TUSCULANI: & in globulo T. forte *Telegonus*. in aversa autem, aquila stans, expansis alis. circa vel nullæ, vel certe corrosæ penitus literæ.

Num autem de Genio Municipii Tusculani meminerit lapis circa Marinum erutus, & villa Bevilaquea in Agro Tusculano prostans, a Fabretto relatus, viderint Eruditiores. nobis enim illum huc protulisse satis fuerit. 14.

14. *Inscript.* p. 77. c. 2. n. 82.

GENIO
MVNICIP....
SACRVM
Q. AVRELIV..
FAVSTINIAN..

CAPUT VII.

De Agro Tusculano.



AGRI Tusculani felicitas ea fuit, quæ tot semper amatores traxit ad incolendum, illumque villis, quasi continuis, atque unius urbis instar, quamplurimis instruendum, allexit. Si enim de cæli, sub qua jacet plaga, sermo sit, ea temperata plurimum & salubris est. Si de soli ingenio, illud est feracissimum. Planicies enim ejus frugibus quammaxime est opportuna; ita ut in aliqua ejus parte, quæ dicitur *Pantano di Borghesi*, triticum non raro uberiorem vigesima messem multiplicet. Hinc Tullius de Lege Agraria in Rullum, Tusculanum agrum inter feliciores, ac felicissimos quoque Latii, ubi segetes proveniunt, annumeravit. Et Statius uni Tiburtino postposuit, eo carmine. *Cedant Telegoni* *, *cedant Laurentia Turni jugera.* Ager idem Tusculanus silvas educavit ingentes; in quibus longissimam arbores ætatem vivebant; quas inter, ilicem, prodigialiter vastam, ex Plinio memoravimus, cum de Luco Dianæ in Colle, qui *Corne* appellabatur, Tusculani agri parte, ageremus. Irrigabatur autem planicies aquis Crabra, Tepula, & Virgine; ductusque harum, aliarumque immensis sumtibus, e diversis fontibus, Romam olim perductarum, medios Tusculanos agros trans-

* 1. *Silv. carm.* 3.

transſibant. quorum pars, nec exigua, perdurant adhuc. Regillo inſuper Lacu celebris Tuſculanus ager olim eſt redditus, quem poſterioribus ſæculis Sanctæ Praxedis memorant appellatum; modo: *Laghetto della Colonna*. Eumque eſſe, qui nunc juxta oppidum *la Colonna*, jacere cernitur, ex eo certe colligimus, quod in hac vicinia, atque adeo in Agro Tuſculano, nullus omnino alius lacus occurrat. Porro de Lacu Regillo hæc ſummatim antiquis ab Scriptoribus ad nos monumenta pervenere; quæ omnia circa pugnam celeberrimam Romanorum & Latinorum, Octavio Mamilio Tuſculano horum duce, ob reſtituendos in regnum Tarquinium Superbum & filios, apud Regillum Lacum habitam, ferme verſantur. In qua illud jactabatur portentum accidiſſe, ut Caſtor & Pollux ſemidei, ſpecie juvenum in albis equis, pro Romanis adverſus Latinos decertantes, victoriam illis peperiſſent. Itaque Cicero [1]: *Apud Regillum lacum, bello Latinorum, quum A. Poſthumius Dictator cum Octavio Mamilio Tuſculano, prælio dimicaret: in noſtra acie Caſtor & Pollux ex equis pugnare viſi ſunt*. Et rurſum: *At enim præſentes videmus deos; ut apud Regillum Poſthumius.* Plinius vero Naturalis Hiſtoriæ tertio & trigeſimo, de caſtrenſi corona locutus *A. Poſthumius Dictator*, inquit [2], *apud Lacum Regillum caſtris Latinorum expugnatis, ei, cujus maxime opera capta eſſent, hanc coronam ex præda dedit*. Et Valerius Maximus: *Cum apud Lacum Regillum A.Po-*

1. *De natur. deor. l. 2. & 3.*

2. *Capit. ſec.*

A. Posthumius Dictator, & Tusculanorum dux Mamilius Octavius, magnis viribus inter se occurrerent; ac neu-
3. Lib. 1. c. 8. *tra acies aliquando pedem referret; Castor & Pollux* 3., *Romanarum partium propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt*. Paullo fusius rem Auctor de Viris Illustribus, in Aulo Posthumio commemoravit. inquit enim: *Tarquinius ejectus ad Mamilium Tusculanum generum suum confugit. qui, cum, Latio concitato, Romanos graviter urgeret; A. Posthumius Dictator dictus, apud Regilli Lacum cum hostibus conflixit. ubi, cum victoria nutaret; magister equitum, equis frænos detrahi, jussit: ut inrevocabili impetu ferrentur. ubi & aciem Latinorum fuderunt, & Castra ceperunt. Sed inter eos duo juvenes, candidis equis, insigni virtute, adparuerunt: quos Dictator quæsitos, ut dignos muneribus honoraret, non reperit. Castorem & Pollucem ratus,*
4. Cap. 11. *Ædem communi titulo dedicavit*. Florus libro primo 4: *Latini quoque Tarquinios adserebant, æmulatione & invidia. Igitur omne Latium, Mamilio Tusculano duce, quasi in Regis ultionem tollit animos. Apud Regilli Lacum dimicatur diu marte vario*. Cetera, recitatorum auctorum verbis similia persequitur. Qui omnes (si Tullium exceperis) de Livii nostri penu sua de-
5. Lib. 2. promsisse videntur, ajentis: *Tarquinius* 5. *spe omni reditus incisa, exulatum ad generum Mamilium Octavium Tusculum abiit*. Aliquanto post: *Supra belli Latini metum, id quoque accesserat, quod triginta jam conjurasse populos, concitante Octavio Mamilio, satis constabat*. Mox paucis interjectis, pergit Livius.

T. Æbu-

T. Æbutius deinde & C. Vetusius Consules. His Consulibus, Fidenæ obsessæ, Crustumeria capta, Præneste ab Latinis ad Romanos descivit. nec ultra bellum Latinum, gliscens jam per aliquot annos, dilatum A. Posthumius Dictator, T. Æbutius Magister equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti ad Lacum Regillum, in Agro Tusculano agmini hostium occurrerunt. Jam diserte habemus ex Livio, Regillum hunc Lacum in Agro olim Tusculano fuisse: qui bis adhuc eumdem lacum nominavit. primo, post eam celeberrimam descriptam pugnam, narrationem ita concludens: *Hoc modo ad Lacum Regillum pugnatum est.* Et rursum sub libri sexti initium, his verbis: *Novus quoque terror accesserat, defectione Latinorum, Hernicorumque. qui post pugnam ad Lacum Regillum factam, per annos prope centum, nunquam ambigua fide, in amicitia Populi Romani fuerant.* Vix tamen certi quidquam, tot licet ex Latinis auctoribus adeo gravibus, erui potest, pro Regilli Lacus situ definiendo: nil enim aliud, atque unicus quidem id Livius diserte, quam *in Agro hunc Lacum Tusculano fuisse*, dicunt. Dionysius, qui Latinorum res gestas enucleatius paullo semper consuevit exponere, plus aliquid luminis ad eum situm investigandum contulisse videtur. Siquidem celebrem Regillanam 6. pugnam narraturus, inquit: *Aulus Posthumius Dictator dictus est. isque Magistrum equitum assumsit T. Æbutium Elvam. Jamque omnibus rebus ad bellum instructo, speculatores nuntiant, Latinos iter ingressos,*

6. Lib. 6.

cum

cum toto exercitu. ac mox alii, primo eos impetu occupasse Castellum Corbionem, a paucis custoditum præsidiariis. Et quibusdam interjectis, persequitur Dionysius: *His cognitis, Posthumius celeriter occurrit hostibus, priusquam in unum convenirent omnes. properatoque per noctem itinere, cum suis copiis venit prope Latinorum, ad Lacum Regillum, loco munito posita. Ipse castra metatus est in edito arduoque tumulo.* Qua ex Dionysii narratione deductum a Cluverio 7., cui subscribimus, hujusmodi prudentissimum est ratiocinium. Castellum Corbionem, ultra Algidum Æquorum, & Lavicum Latinorum oppidum, fuisse, in confinio Æquorum, aliunde colligimus. Igitur tunc Latinorum copiæ, duce Octavio Mamilio Tusculano, aut Latina, aut Lavicana, aut Prænestina Via, Romam versus contenderunt. Neque ad Latinam neque ad Lavicanam lacus ullus apparet. At vero ad Prænestinam, vel quæ saltem nunc ita dicitur, quamvis ea pars, ad quam est lacus, Lavicana antiquitus aliquibus fuisse probetur. Ad eam, inquam, Viam, quæ modo Præneste ducit communiter, lacus apparet, e regione oppidi nunc *la Colonna*, appellati, qui tumulorum supercilio veluti amphitheatro inclusus cernitur, Albano atque Aricino minor. Nec alius circa Tusculum, totaque hac regione est lacus. Recte igitur docti viri ante nos hunc Lacum Regillum fuisse interpretati sunt. Suntque apud hunc lacum, ex utroque Viæ Lavicanæ latere editiores tumuli circa Co-

7. *Ital. antiq. l. 3. p. mihi 946.*

Columnam oppidum; in quibus tunc Romanos Latinosque castra sibi invicem opposuisse, non inani conjectura autumamus. Quamvis autem inter eruditos antiquitatis vestigatores satis conveniat, lacum, qui nunc apud oppidum *la Colonna* in Agro Tusculano, esse lacum olim Regillum dictum; lis tamen Cluverium inter & Holstenium est; hoc accusante, utrum is lacus idem sit, ac qui posterioribus sæculis, dictus est *Sanctæ Praxedis*, forte a propinquo aliquo huic Virgini dedicato sacello. Asserit enim id, post Jovium, & alios, Cluverius. pernegat tamen Holstenius, contendens, lacum, qui Christianis sæculis *Sanctæ Praxedis* fuit dictus, non Regillum in Agro Tusculano, sed Gabinum in Agro Gabino, Via Prænestina antiqua, sinistrorsum Roma euntibus Præneste, fuisse; quem etiam in Fastis sacris *Burranum* Lacum nominatum legimus, modo *il Lago di Castiglione*. Quam tamen litem indecisam hic lubens relinquo. Cum mihi unum id satis fuerit, Regillum Lacum in Agro Tusculano certo certius illum fuisse, atque adeo nunc esse, qui juxta oppidum, *La Colonna* in Agro Tusculano conspicitur; quocumque tandem nomine deterioribus sæculis appellatus fuerit. Quod invictissimo, præter omnium auctorum consensum, evincitur argumento; hoc nempe; quia nullus alius præter hunc, in universo Tusculano Agro lacus est. Quoniam igitur Regillus Lacus fuit in Tusculano; ipse necessario, Regillus appellatus, dicendus est. Neque enim

enim Holſtenii in Cluverium probamus cavillationes. qui Cluverium negligentiæ accuſat, ajentem nullum alium tota hac regione lacum exiſtere, quaſi *lacum ad Algidum*, juxta locum vulgo *la Cava dell' Aglio*, non viderit; & alium *Sancti Juliani* ultra Algidum montem, qui Holſtenio eſt *la Montagna dell' Ariano*, non obſervaverit. At Lucæ Holſtenii in Cluverianis ſcirpis nodum ſemper quærentis pace dixerim; inanis & futilis eſt hæc accuſatio. Cluverius enim nullum alium, præter vicinum Columnæ lacum *in Agro Tuſculano*, ita inquam, *in Agro Tuſculano*, eſſe ait. quid igitur mihi nunc Agrum Algidenſem obtrudis? Rurſum de Lacu a natura congregato loquitur Cluverius,& loqui debuit; congregatio autem aquarum apud locum *la Cava dell' Aglio*,ipſo fatente Holſtenio, arte facta eſt, ad molas frumentarias volvendas: merito igitur, &,quod, extra Tuſculanum, & quod, non a natura, ſed ab arte, inter lacus computanda non fuit. Lacum vero, ſeu paludem ultra montem Algidum, Velitras inter & Coram, apud oppidulum *Giuliano*,ſive,ut ait Holſtenius *Sancti Juliani* quis prudens inter agri Tuſculani, quos quærimus, lacus computaverit? Intervalla vides humane commoda. Potuit ergo Holſtenius inani peperciſſe in Cluverium accuſationi. Quare is fuit Regillus Lacus (juvat denuo repetere) qui ſub recenti oppido *la Colonna* jacet, ac vulgo *il Lago della Colonna* nominatur.

Aliis etiam aquis irriguum fuiſſe Agrum Tuſcu-

ſculanum, de Strabone docemur 8., ajente, Tuſculum urbem habuiſſe vicinum collem aquarum copia irriguum. Fuerunt fortaſſe hæ aquæ, quibus præſentes quoque villæ, Pamphilia, Ludoviſia, Burgheſia, Falconeria, ceteræque irrigantur copioſe; quæque luſibus variis, ac deliciis, inſerviunt. Certe ad Pamphiliam illas deductas, legimus *ab Algido* per Petrum Aldobrandinum Clementis Octavi Pontificis Maximi, fratris filium Cardinalem; cum, Ferraria in poteſtatem Pontificiam recepta, eam villam magnificentiſſime extrueret. Quibus etiam aquis præſens urbs *Fraſcati* in omnem uſum copioſiſſime abundat, publicis in medio foro conſtructis fontibus. Ager igitur Tuſculanus, miti ſub cæli plaga, aquis irriguus, frugibus in planicie omne genus, ſilvis in collibus, atque vitibus, & varii generis fructibus atque floribus abundavit. Ac de vitibus quidem, cum in præſens quoque illarum ſumma in eo Agro ſit copia; non eſt, cur teſtimoniis Veterum, ad id ſignificandum, utamur. Vinum certe Tuſculanum optimæ fuiſſe notæ, vulgatum illud *Bacchus amat colles*, ſatis ſuperque teſtatur; cum circa vetus ac novum Tuſculum ager magna ex parte in colles ac tumulos erigatur, maxime apricos atque amœnos. E fructibus autem, ficus præcipue Tuſculani Agri commendantur Macrobio. ait enim ex Varrone 9., Tuſculanum Agrum præ reliquis optimas ficus aluiſſe, atque educaſſe. Ceraſis quoque fœcundum fuiſſe; eaſque

8. *Lib. 5.*

9. *Saturnal. l. 3. c. 16.*

primum omnium in Italia agrorum ex oppido Cerasunte, unde nomen, translatas accepisse, ac educasse, verisimile est. Cum enim has arbores, Plinii testimonio, primus L. Lucullus in Italiam adduxerit; quis illas in Tusculanis suis prædiis potissimum sevisse, sibi non persuaserit? Plinii verba 10. .
10. Lib. 15. c. 25 *Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. Ad Vrbis annum* DCLXXX. *is primum vexit e Ponto.* Auctor idem *Tusculana mora* 11. nominatim appellat, de illa agens arbore; veluti primatum quemdam inter cetera, bonitatis haberent.
11. L. 15. c. 24. Cæpas quoque ipse Plinius hujus Agri bis nominavit. etenim primo 12.; *Ex cunctis* (cæpis) *Setania minima, excepta* TUSCULANA, *sed dulci*. mox de earumdem saporibus: *Genera ejus, austeritatis, ordine, Africana, Gallica, Tusculana, Amiternina*. Idem violas sic laudat. *Genera iis* 13. TUSCULANA, *& quæ marina appellatur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato*. Martialis vero rosam Tusculanam inter præcipuas, atque adeo ipsis Pæstanis celeberrimis tanquam parem, commendat; sic enim Sabino amico roseam corollam mittens, ipsamque allocutus: 14.
12. L. 19. c. 6.
13. L. 21. c. 6.
14. Ep. 60. l. 9.

Seu tu Pæstanis genita es, seu Tiburis arvis;
Seu rubuit TELLUS TUSCULA *flore tuo;*
Seu Prænestino te Villica legit in horto,
Seu modo Campani gloria ruris eras:
Pulchrior ut nostro videare corona Sabino,
De Nomentano te putet esse meo.

Ceterum in Tusculano genus argillæ tam tenacis fuit

fuit, ut in illam quæcumque alte infixiffes, vi nulla jam ferme extrahi poffent. Teftis eft Plinius, ubi de terrarum miraculis acervatim locutus 15.: *Ad aras Murfias*, inquit, *in Vejente*, *& apud* TUSCULANUM, *& in filva Ciminia loca funt*, *in quibus in terram depacta non extrahuntur*. Quanam vero potiffimum Agri Tufculani parte tenax hæc argilla fuerit, incertum eft. Tantum, viginti circiter abhinc annis, loco, qui dicitur *La Selva* prope Villam Burghefiam majorem, genus terræ albicantis ac tenacis detectum fuit, ex quo optima aliquandiu vafa teftacea confecta funt. Brevi tamen fodina fterilis effecta eft. Antiquitus vero, quod terræ hujufmodi five argillæ plurimum in Tufculano effodiebatur; hinc figlinæ quoque multæ ibidem; & mos prædia fæpiendi, non quidem rubis, aut alio fruticis arbuftive genere, nec macerie quidem lapidea tantum, ut ait Varro 16., fed & coctis laterculis; ex copia nimirum patriæ atque vernæ argillæ. Demum & filicis copia fuit in Agro Tufculano. de quo Plinius 17.: *Idem* (Varro) inquit, *Lunenfem filicem ferra fecari*, *at* TUSCULANUM *diffilire igni*. His filicibus viæ multæ ftratæ funt in agro Tufculano. quarum veftigia non uno loco adhuc videmus; ad jugum præcipue Tufculanum afcendentibus; ad Collem Corne, fi is fuerit, ubi nunc *Cavalletta* villa; juxta fontem aquæ Tepulæ, prope Ciceronis Tufculanum; ad prædium Collegii Tufculani Soc. Jefu, Via præfenti Tufculana: atque omnium ma-

15. *L.2.c.96.*

16. *R.R. l.* 1. *c.* 14.

17. *Lib.* 36. *c.* 18.

xime, qua ab Tufculo Tibur itur; aliifque locis identidem. Circaque ipfum jugum Tufculani montis, fodinæ adhuc fuperant lapidis Tiburtinum imitati, nifi eidem candore ac duritie concederet. quem *Piperitem*, aliqui, vulgo *Peperino*, aut etiam *Sperone* nominaverunt. Ex quo, inter cetera, Profpectus, five Facies Principis Templi, Fontis & Portæ urbis, a Tufculanis eleganter ornata funt. Plurimus quoque ejufdem lapidis in villis Tufculanis eft ufus. Antiquitus vero viæ per hunc agrum, tum filice, tum etiam alio hoc lapide, fterni, munirique confuevere. Ex quibus certa quædam fuit, quæ *Via Tufculana* dicta eft. Hanc quidam eamdem omnino cum Latina fuiffe exiftimant. Ex quibus, Cluverius id Veterum teftimoniis, inde confirmat: quod, cum Dionyfio, dicatur Marcius Coriolanus trigefimo paullo amplius ftadio *apud Viam Tufculanam* pofuiffe caftra; idem Livio & Valerio Maximo caftra pofuiffe *apud Viam Latinam* dicitur. Itaque Cluverio Via hæc Tufculana nulla alia fuit, quam Latina, a qua paullo infra Tufculanum Ciceronis, finiftrorfum deflectebant, qui ab urbe Roma Tufculum afcendebant. Quamvis autem alii aliter fenferint de hac Via, quorum fententias in proximo de Algidenfibus Libro, ubi de Via Latina opportunior recurret fermo, diligentius examinabimus; certum eft tamen, VIAM TUSCULANAM ab urbe Roma Tufculum duxiffe, tum ex Dionyfii recitato jam teftimonio; tum ve-

ro

ro Tibulli. Qui Meſſallam commendans, quod eam viam reſtituiſſet, hæc memoravit 18.:

18. El. 7. l. 1. al. el. 8.

Nec taceant monumenta Viæ, quæ TUSCULA TELLUS,
Candidaque antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congeſta tuis hic glarea dura
Sternitur. hic apta jungitur arte ſilex.
Te canit agricola e magna cum venerit Vrbe
Serus; inoffenſum rettuleritque pedem.

Quos poſtremos verſus non animadverterunt, puto, qui locutum hic Tibullum de Via aliqua Tuſculana, quæ Tuſculo ad Albanum montem aut alio, non vero Roma Tuſculum duceret, exiſtimarunt. Satis enim diſerte poeta ſignificat, eam Viam, quam reſtituerat Meſſalla, ab urbe Roma cœpiſſe. dum ait: *Te canit agricola e magna cum venerit Vrbe ſerus; inoffenſum rettuleritque pedem.* Profecto iiſdem ex verſibus, Cluverii ſententia roboratur, quod eadem fuerit, maxima ſaltem ex parte, Via Tuſculana, cum Via Latina. Hæc enim, Strabone teſte, ſub Tuſculo, Tuſculanum inter atque Albanum montem, ad Algidum olim tetendit. Tuſculana quoque Tibulli ſternebatur inter monumenta hinc in agro Tuſculano, illinc in Albano poſita; a quibus, utpote commodiore aditu, per viæ a Meſſalla reſtitutionem ornatis, vult poeta, laudes ejuſdem Reſtitutoris non taceri. *Nec taceant monumenta Viæ, quæ Tuſcula Tellus, candidaque antiquo detinet Alba lare.* Viam autem Latinam quamplurimis clarorum virorum monumentis hinc atque

que hinc ornatam, plurimis Veterum teſtimoniis
19. Sat. 1. v. ultimo. novimus; ac præcipue Juvenalis 19.:

Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

20. Sat. 5. atque 20. alibi:

Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.

Diximus autem ſub libri hujus initium, Viæ Tuſculanæ ad ipſum Tuſculum in jugo ſitum aſcendentis veſtigia adhuc omnia non fuiſſe deleta; ſed quaſdam in eo aſcenſu apparere ſilicum inſtratorum particulas. Non negamus tamen, & alias in Agro Tuſculano vias, quæ ab Tuſculo Albam, Algidum, per divertigia, Labicos, Tibur, Præneſte, aliaque ad vicina loca perducerent, inſtratas ſilice fuiſſe; & *Tuſculanas* communi vocabulo potuiſſe appellari. Viam tamen, quæ *Tuſculana* per excellentiam diceretur; ab urbe Roma Tuſculum deduxiſſe, eamdemque potiori ex parte cum Latina fuiſſe, rurſum aſſeveramus. Quam ab Aſinaria Porta initium duxiſſe, eruditi perhibent: de quo, ut ajebam, inſequenti libro, ubi de Via Latina, diſſerendum erit.

Ceterum in Agro Tuſculano pagus fuit, teſte
21. De verbor. ſignificatione. Feſto 21., *Papiria* dictus, a quo Papiria Tribus & Gens Romæ nomen deduxerant. Huic conterminus pagus alius *Pupinia* nominatus; circa quem, ager pariter *Pupinia*, vel *Pupinius* appellatus eſt. Hujus meminit Cicero in Oratione pro Lege Agraria ad populum: *Agros vero Vaticanum & Pupinium cum ſuis optimis atque uberibus campis conferendos non pu-*

putabunt. Et Livius ejus ab Urbe diſtantiam notavit, Hannibalis Romam infeſto exercitu petentis iter deſcribens. ait enim 22.: *Hannibal, infeſtius perpopulato agro Fregellano, propter interciſos pontes, per Fruſinatem, Ferentinatemque & Anagninum agrum, in Labicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tuſculum dextrorſum Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo, octo millia paſſuum a Roma poſuit caſtra*. Hoſce inter pagos Papiriam atque Pupiniam non leviter ſæpe decertatum, prodit Feſtus, ob confinia; quod valde anguſtis uterque ſpatiis concluderetur; & ager Pupiniæ ſteriliſſimus eſſet. in exemplum idcirco ſoli ſumme ſterilis ab Varrone adductus, utpote in quo neque fœnum, nedum vites creſcerent. Quod & Cicero in recitata comparatione agrorum ſuburbanorum cum Campanis innuit; & Valerius Maximus confirmavit. Attamen huic agro tam ſterili gloria cultoris nobiliſſimi non defuit. Atilius enim Regulus, ille Romanæ dignitatis vel cum ſuo ſummo dolore, vitæque ipſius jactura, aſſertor acerrimus, hunc agrum coluiſſe fertur; tantaque cura atque induſtria, ut ſteriliſſimum ſoli ingenium vinceret tamen agricolæ ſui labor & diligentia. De illo Columella 23.: *In univerſum tamen, quaſi teſtificandum, atque ſæpius prædicandum habeo; quod primo jam Punico bello dux inclytiſſimus M. Atilius Regulus dixiſſe memoratur; fundum, ſicuti ne fœcundiſſimi quidem ſoli, cum ſit inſalubris, ita nec effœti, ſi vel ſaluberri-*

22. Lib. 26.

23. Lib. 1. R. R. c. 4.

rimus sit, parandum. Quod Atilius ætatis suæ agricolis, majore cum auctoritate suadebat, peritus usu. Nam, Pupiniæ pestilentis simul & exilis agri cultorem eum fuisse, loquuntur historiæ. Atilii autem continentiæ atque abstinentiæ singularis præclarum est illud exemplum a Valerio Maximo memoratum; hic, utpote ad Pupiniam præcipue spectans, non omittendum 24. *Ejusdem nominis*, inquit Valerius, *cum Atilio Calatino, & sanguinis ejusdem Atilius Regulus Primi Punici belli Gloria, cladesque maxima. Cum in Africa insolentissimæ Carthaginis opes, crebris victoriis contunderet; ac prorogatum sibi, ob bene res gestas, in proximum annum imperium cognovisset; Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem jugerum in Pupinia habebat, mortuum esse: occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento discessisse. ideoque petere, ut sibi successor mitteretur: ne, deserto agro, non esset unde uxor ac liberi sui alerentur. Quæ postquam Senatus a Consulibus accepit: & agrum alii villico colendum locari; & alimenta conjugi ejus, ac liberis præberi; resque quas amiserat, redimi publice jussit. Tanti Ærario nostro virtutis Atilianæ exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit.* Hactenus Valerius; qui ab aliis etiam ejus ætatis, qua Regulus floruit, aut circa illam, viris clarissimis, Pupiniam improbo labore cultam commemorat. Ait enim 25.: *Illi etiam prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut Consules fierent; voluptatis caussa sterile atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant: deliciarumque ignari, vastissimas gle-*

24. *Lib.4. c.6.*

25. *Lib.4. c.4.*

Tab. VII.

TUSCULANI TERRITORII Topographia una cum cæteris locis confinibus. In qua omnia illa celebria loca, quorum vet. Authores memoriam faciunt, describuntur.

Oriens.

REGNUM ÆQUORUM

HERNICI

REGNŨ GABIORUM

LUCULLANUM

PEDANI

Septentrio.

Meridies.

ROMA

HETRURIÆ PARS.

Occidens.

Scala milliarium

TVSCVLANAE VETERIS REGIONIS ET CONTERMINARVM EXACTA DESCRIPTIO.

glebas plurimo cum ſudore diſſipabant. Ex hoc autem Agro Tribum Pupiam conflatam aliqui tradidere. quem nonnulli prope Tibur fuiſſe ſcripſerunt; idcirco, quod inter utramque urbem Tiburtinam ac Tuſculanam, in Agro tamen hujus, in planicie ſterneretur. Pupiniam fuiſſe, putavit Kircherius eo loco, ubi nunc Turris, medio itinere Romam inter & Porcium Montem, apparet extructa; vulgo *Torre Nova*. Fabrettus vero Pupiniam ait id ſpatium occupaſſe, quod inter Anienem fluvium, & Foſſam; vulgo *Foſſo dell' Acqua nera*. Ceterum, qui Tuſculani Agri culturam, fœcunditatem, ceteraque omnia, ac pene ſingula, cognoſcere cupit, Catonis de Re Ruſtica Librum legat. in eo namque Cato Tuſculanus, in patrio ac paterno vivens agello, juxta patriæ culturæ uſum ac morem, præcepta rei ruſticæ congeſſit. Quemadmodum Virgilius, poſtea, Veneti ſoli mores in Georgicis ſuis expreſſit. quando tunc Mantuanus Virgilii ager inter Venetos computabatur, & cenſebatur. Sed jam Marci Porcii Catonis ipſius Tuſculani villam, Porciæ quoque Gentis illuſtres aliquot Viros, unde maxima & perennis Antiquo Tuſculo gloria, recenſebimus.

CAPUT VIII.

De Monte Porcio, & Porcia Gente in Tusculano.



Ocus est in Tusculano fœcunditate atque amœnitate nulli secundus, duobus ferme milliariis a Novo Tusculo distans, orientem inter solem & septemtriones, leniter in Collem adsurgens; cui frequens ac satis cultus, duobus nondum ab hinc sæculis pagus insidet, in Burghesiorum Romanorum Regulorum ditissimorum ditione. *Montem Porcium* antiquo ac glorioso vocabulo appellant. Glorioso, inquam; siquidem a Marco Porcio Catone Censorino, ejusque minoribus ex Porcia Gente nomen est derivatum. M. enim Porcius Cato, Tusculanus quod patria foret, villam in hac Tusculani Agri parte habuit cultissimam, ac maxime frugiferam. Nondum enim ea ætate externi, ac præcipue mollium Asianorum corrupti mores, Romanam infecerant disciplinam. Quare Porcii villa in Tusculano continentior multo, quam ceteræ Romanorum subsecutis temporibus, fuit. In ea viguit agricolatio quam maxime; deliciæ, insanorumque ædificiorum sumtus immodici, locum non habuere. Quod Tuscula Tellus Porcio Catoni patria fuerit, Cicero, Cornelius Nepos, Plutarchus, aliique diserte testificantur. Tullius enim, inquit [1], *Sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed*

1. Lib. 2. de Legibus.

ſed Tuſculum. Ego, mehercule & illi, & omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias; unam naturæ, alteram Civitatis. ut ille Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in Populi R. civitatem ſuſceptus eſt. itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris. atque iterum 2.: *Num aliquando vides, Tuſculanum aliquem, de M. Catone illo in omni virtute principe; num de T. Coruncanio municipe ſuo; num de tot Fabiis gloriari?* Cornelius Nepos Catonis vitam ſic incepit: *Cato ortus municipio Tuſculo.* Plutarchus vero: *Memorant Hiſtorici*, inquit, *Marcum Porcium Catonem in Tuſculano ortum eſſe.* Quibus ex verbis non inanis eſt conjectura, Porcium non quidem in ipſa urbe Tuſculi, verum in Tuſculano Agro natum. atque adeo ea Tuſculani Agri parte, cui æternum naſcens nomen famamque dediſſet. In Sabinis quidem illum educatum, iidem auctores referunt. unde etiam ſeveriore illa diſciplina Sabinorum imbutus eſt; quæ Spartani plurimum habuit. Ceterum, in paternis quoque ac patriis prædiis in Tuſculano verſatum, quis dubitet? Præcipue cum, illum ruſticæ privatæque vitæ amantiſſimum extitiſſe noverimus. Itaque, Porcium in Porcio hoc Monte eam ferme vitæ rationem, quam in villa ſua Sabina, tenuiſſe, merito exiſtimamus. Cujus hic ſpecimen aliquod, ex Plutarcho præcipue præbendum. Siquidem Porcius paterni ſoli ipſe agricola, glebas vertere, ſarrire, rigare, omnique alia cultura fœcundas reddere conſuevit. Et quam-

2. *Pro Plancio.*

quam primo mane, ad Urbem, caussas amicorum oratum, pergeret; decisis, tamen, urbanis negotiis, ad sua rura quantocius revertebatur. Per hyemem sagulo sine manicis, æstate vero seminudus rusticum semper aliquod opus urgebat. Mox cum servis cibum, illumque nonnisi operarum sumere. Interdum ad Marci seu Marcii Curii villam suæ proximam divertebat; hominisque continentiam, abstinentiam, & parsimoniam imitandum sibi exemplum proponebat. Secumque animo volvebat attente perpendens, Curium illum ipsum esse, qui modicissimo tugurio vix tegebatur, & pauca ipse sibi ponebat oluscula, trium gloria triumphorum clarissimum; ferocissimarum gentium debellatorem; & Romanos inter, ducem celebratissimum; attamen, tot tamque præclaras post gestas res, stivæ manum admovere, & stimulo boves agitare. sedentemque ad focum, ut Porcius illum sæpe conveniebat, & rapa in cœnam præparantem, invictum illud, Samnitibus aurum offerentibus, si patriam prodere, sumtis adversus eam armis voluisset, responsum tulisse: se, qui paucis illis olusculis opipara tamquam cœna contentus esset, auro non indigere; ac eos vincere malle, qui aurum haberent, quam aurum ipsum possidere. Quibus ex vicini sui Curii exemplis summos Porcius noster in virtute, continentia, præstantia, abstinentia, & frugalitate, progressus fecit. Neque tamen hic nos Catonis vitam minute describemus. cum abunde

id

id Plutarchus, Nepos, Cicero pluribus locis, ac præcipue Dialogo de Senectute, quem *Catonem Majorem* inscripsit, ex ejus persona locutus, præstiterint. Cursim tantum legentibus in memoriam revocabimus, Porcium, natum in Tusculano V.C. DXIX, prima stipendia decimoseptimo ætatis anno fecisse, & in pugna ad Capuam contra Hannibalem adfuisse. Unde & ipso secundo Punico bello Silius juvenem hunc Catonem strenue in Mauri cujusdam terribilis occisione sese gerentem ita descripsit. 3. 3. Lib. 7. in fin.

Jamque in palantes ac versos terga, feroces
Pugnabant Itali; subitus cum mole pavenda
Terrificus nigris prorumpit Maurus in armis:
Nigra viro membra, & fulvi juga celsa trahebant
Cornipedes; totusque novæ formidinis arte
Concolor æquabat liventia currus equorum
Terga; nec erectis similes imponere cristis
Cessarat pennas: aterque tegebat amictus.
Ceu quondam æternæ regnator noctis ad imos
Cum fugeret thalamos, Ætnea virgine rapta,
Egit nigrantem Stygia caligine currum.
At Cato tum prima sparsus lanugine malas,
QUOD PEPERERE DECUS CIRCÆO TUSCULA DORSO
MOENIA LAERTÆ QUONDAM REGNATA NEPOTI,
Quamquam tardatos turbata fronte Latinos
Collegisse gradum videt, imperterritus ipse
Ferrato calce, atque effusa largus habena,
Cunctantem impellebat equum. negat obvius ire,
Et trepidat crassa sonipes exterritus umbra.

Tum

Tum celer in pugnam dorso delatus ab alto
Alipedem planta currum premit, atque volanti
Assilit a tergo. cecidere & lora repente,
Et stimuli; ferrumque super cervice tremiscens
Palluit infelix, subducto sanguine Maurus.
Ora rapit gladio, præfixaque cuspide portat.

In castris vero Catonem, militaris disciplinæ tenacissimum, dure vixisse, accepimus. postea de paternis agris, quo iterum sese abdiderat, ab L. Valerio Flacco vicino suo in Urbem, atque adeo ad Rempublicam tractandam vocatum, militarem Tribunum egisse in Sicilia V. C. DXLIX. aut L. Sardiniam subjugasse, sexto post anno, ejusdemque Provinciæ summa moderatione Prætorem extitisse; Legem Oppiam ad luxum mulierum coercendum tulisse; seu latam jam, in usum pristinum revocasse; Consulem cum ipso Flacco fuisse; Hispanias domuisse; ex quibus triumphum quoque reportavit; deinde in Syriam Tribunum missum, multa præclare adversus Magnum Antiochum gessisse. Censorem mox factum, summa severitate corruptos Reipublicæ mores ad pristinam virtutis disciplinam traducere conatum. Nam & nobilissimum quemque, si vitiosus foret, Senatu movere non dubitavit. Ex quo tanta in Porcium conflata est invidia pene omnium, (siquidem mali plurimi) ut Plinius quidem quadragies quater, Plutarchus quinquagies; alii quoque non minus quadringenties Porcium Catonem Censorem accusatum fuisse,

scri-

ſcripſerint. Ex quibus tamen accuſationibus non modo incolumi ſemper & vita & fama prodierit; verum glorioſior quoque quam antea. quippe qui ſententiis judicum etiam malevolorum ac inimicorum, ſemper abſolutus; & nobiliſſimorum Reipublicæ Virorum ac Magiſtratuum ſuffragiis & calculis innocentiſſimus fuerit declaratus. Plurima ejus facta, dictaque præclariſſima memorantur, quæ apud ejuſdem vitæ auctores per ſe legere quiſque poterit. Illud non omiſerim, quod temporum calculi, qui *Catonianus* dictus eſt, hic fuit auctor: eumdemque Catonem, dicere ſolitum fuiſſe, trium ſe, minus recte factorum, in vita pœnituiſſe; quod diem vel unicam abſque novæ alicujus diſciplinæ cognitione vacuam perdidiſſet; hoc primum. quod uxorem de ſecreto ſemel participem feciſſet; alterum. tertium vero, quod terreſtri cum poſſet uti itinere, eodem maritimo uſus fuiſſet. Græcas literas ſenex didicit. Plura ſcripſit, ac libros præcipue de Originibus. quodque ad rem noſtram magis facit, Librum de Re Ruſtica ad Marcum filium. In quo ratio Tuſculani ſoli, ac ſingillatim Montis Porcii, colendi, ab antiquis adhibita nobis innoteſcit. Ex Gellio quoque ipſe Cato villarum ſuarum modum nobis ita ſignificavit: *M. Cato Conſularis* 4. *& Cenſorius, publicis jam privatiſque opulentus rebus, villas ſuas inexcultas, & rudes, ne tectorio quidem prælitas fuiſſe dicit, ad annum uſque ætatis ſuæ* LXX. *atque ibi poſtea his verbis utitur: Neque mihi, inquit, ædificatio,*

4. *Noct. Attic.* *l.* 13. *c.* 22.

tio, neque vasum, neque vestimentum ullum est in manu preciosum; neque preciosus servus, neque ancilla. Si quid est, inquit, quo utar, utor. si non est, ego sum, cui per me uti atque frui licet. Tum deinde addit: vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere. Hæc mera veritas TUSCULANI HOMINIS, *egere se multis rebus, & nihil tamen cupere dicentis*. cetera. Ad ultimam illum senectutem pervenisse memorant. alii enim, sextum & octogesimum, alii, etiam nonagesimum annum vidisse, tradunt. In exemplum viri sapientis, immo vero ipsius sapientiæ, ab antiquis pariter ac nostris hominibus adduci consuevit. Statuam huic ex Senatus Consulto in Curia positam olim tradunt; in cujus basi hæc incisa notis decora publicis.

MARCO CATONI CENSORI
QVOD MORIBVS OPTIMIS
LEGIBVS SANCTISSIMIS
PRAECEPTIS SAPIENTISSIMIS
DISCIPLINAM POPULI ROMANI
LABENTEM RESTITVIT.

Mattejus vero, qui hunc recensuit lapidem, & alium, sub Capitolio adhuc extantem, apposuit; in quo sic legitur.

MARCVS PORCIVS CENSORINVS

Cumque antea vocaretur *Marcus Porcius Priscus*; *Cato* deinde vocatus est; quod *Catus*, hoc est *sciens* plurimarum rerum evasisset. *Marci* prænomen eo quod Martio mense natus esset, sortitum diceres, si Plinio, eam prænominis illius originem asserenti,

fides,

fides. *Porcius* vero Porcia gente, quod esset; quam a *Porcorum* præcipua cura sic nominatam, non dubitamus. Cum Latinorum talis mos esset, ut a rebus præcipue rusticis nomina sæpissime desumerent. Quod Varro significavit: *Nomina multa habemus*, inquit, *ab utroque pecore; a majore & minore. A minore Porcius, Ovinius, Caprilius; sic a majore, Equitius, Taurus, cognomina significari, quod dicuntur. ut Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli: sic a pecudibus alii multi. Ab aliis autem rusticis rebus, puta, fabis, lentibus, ciceribus, plantarum germinibus, ceterisque, celebres Fabii, Lentuli, Cicerones, Stolones, atque persimiles nominati sunt.* Porro nomen, sive adpositum cognomen alicujus, in familiæ deinde, atque etiam gentis, quæ plures familias continet, nomen atque vocabulum non raro transivit: ut in Porcia Gente, de qua nunc, factum discimus, Ex qua hujus vocis *Porcius* origine, nomen ipsum per literam *C. Porcius*, non vero per *T. Portius*, scribendum esse, manifestum fit. Hinc etiam Monti Porcio, siquidem de Porcii Catonis domini natali solo, ejusque nomine nomen est mutuatus, non quidem ipsi a *porcis* inditum nomen, quod eorum pastioni ager hic fuerit perquam aptus; sed a Porcii Catonis nomine, quod ex cura porcorum primam in Porcia Gente traxit originem, fuisse derivatum. Unde perperam barbari quidam homines eumdem *Montem Porculum*, non vero *Porcium* appellaverunt. Ceterum prædiorum Porciæ Gentis

s. R. R. l. 2. c. 1.

in Tuſculano, præter adducta hactenus, & illud non inane argumentum fuerit; quod locus adhuc in Tuſculano eſt, vulgo *Prata Porci* nominatus, quo Prata Porcii Catonis, ſive tandem Majoris, ſive Uticenſis, ſive alterius ex Porcia Gente, fuiſſe, credendum eſt. Porro Gens Porcia in ipſo Marco Porcio Catone Cenſore, ſive Cenſorino primam ſui famam, ac notam veluti originem, habuit. Quamvis enim ipſe Cato patrem ſuum, quin etiam proavum, militiæ rebus geſtis claros fuiſſe, ſcripſerit; certum eſt, tamen, ipſum Catonem, hominem novum nullaque majorum fama clarum, primum ſuæ gentis ad Rempublicam acceſſiſſe. Ipſiuſque vultus documenta ſatis perſpicua dabat, ruſticana illum progenie ortum. Siquidem flava, rufaque,& aduſta fuit facie, ruſticum ſpirante: quod illi quidam in altercatione,ſeu potius ſatyrico carmine, malevolus exprobraſſe legitur, apud Plutarchum. qui vultum ejus ac dotes ſic brevibus complexus eſt: *Facie fuit ſubrufus, & cæſius cum felle. Continuo patrocinio eorum, qui operam ſuam requirebant, in finitimis Tuſculo vicis & oppidulis inſtruebat, & aptabat. ac primum habitus cauſſarum Actor. deinde Orator inſignis, & Dux atque Imperator optimus.*

Ceterum, illuſtres viros ex Porcia Gente, Catone Cenſore progenitos recenſere melius me poſſe deſperans Aulo Gellio Viro doctiſſimo, totque ſæculis ei familiæ,quam nos,propinquiore; ejus verba excribam, quæ ſub eo titulo: *De genere & nomi-*

minibus familiæ Porciæ, talia leguntur 6.: *Cum in domus Tiberianæ bibliotheca ſederemus ego, & Apollinaris Sulpicius, & quidam alii, mihi aut illi familiares: prolatus forte liber eſt ita inſcriptus,* M. CATONIS NEPOTIS. *Tum quæri cœptum eſt, quiſnam is fuiſſet M. Cato Nepos. Atque ibi adoleſcens quiſpiam (quod ex ejus ſermonibus conjectare potui) non abhorrens a literis, Hic, inquit, eſt M. Cato, non cognomento Nepos, ſed M. Catonis Cenſorii ex filio nepos. qui pater fuit M. Catonis Prætorii viri, qui bello civili Uticæ necem ſibi gladio manu ſua conſcivit: de cujus vita liber eſt M. Ciceronis. quem in eodem libro, idem Cicero pronepotem fuiſſe, dicit, M. Catonis Cenſorii. Ejus igitur, quem Cicero laudavit, pater hic fuit M. Cato; cujus Orationes feruntur inſcriptæ* M. CATONIS NEPOTIS. *Tum Apollinaris (ut mos ejus in reprehendendo fuit) placide admodum leniterque: Laudo, inquit, te, mi fili, quod in tantula ætate, etiamſi hunc M. Catonem, de quo nunc quæritur, quis fuerit, ignoras, audaciuncula tamen quadam de Catonis familia aſperſus es. Non unum autem, ſed complures Marci illius Catonis Cenſorii nepotes fuerunt, geniti eodem patre. Duos enim M. ille Cato, qui & Orator & Cenſor fuit, filios habuit, & matribus diverſos, & ætatibus longe diſpares. Nam, jam adoleſcente altero, matre ejus amiſſa, ipſe quoque jam multum ſenex, Salonii clientis ſui filiam virginem duxit in matrimonium. Ex qua natus eſt M. Cato Salonianus: hoc enim illi cognomentum fuit a Salonio patre matris datum. Ex majore autem Catonis filio, qui Prætor deſignatus, patre vivo, mortuus eſt,*

6. *Noct. Attic.* l. 13. c. 18.

 & egre-

& egregios de Juris disciplina libros reliquit, nascitur hic, de quo quæritur, M. Cato, M. filius, M. Nepos. Is satis vehemens orator fuit, multasque orationes ad exemplum avi sui scriptas reliquit; & Consul cum Q. Marcio rege fuit. inque eo Consulatu in Africam profectus, in ea Provincia mortem obiit. Sed is, non ita ut dixisti, M. Catonis Prætorii viri, qui se Uticæ occidit, & quem Cicero laudavit, pater fuit. nec quia hic nepos Catonis Censorii, ille autem pronepos fuit, propterea necessum est, patrem hunc ei fuisse. Hic enim nepos, cujus hæc modo prolata oratio est, filium quidem majorem Catonem habuit, sed non eum, qui Uticæ periit: sed qui cum Ædilis Curulis & Prætor fuisset, in Galliam Narbonensem profectus, ibi vita functus est. Ex altero autem viro Censorii filio, longe natu minore, quem Salonianum esse appellatum dixi, duo nati sunt L. Cato & M. Cato. Is M. Cato Tribunus plebis fuit, & Præturam petens, mortem obiit: ex eoque natus est M. Cato Prætorius, qui se bello civili Uticæ interemit: de cujus vita laudibusque cum M. Tullius scriberet; pronepotem eum Catonis Censorii dixit fuisse. Videtis igitur hanc partem familiæ, quæ ex minore Catonis filio progenita est, non solum generis ipsius tramitibus, sed temporum quoque spatio differre. Nam quia ille Salonianus in extrema patris ætate, sicuti dixi, natus fuit: prognati quoque ab eo aliquanto posteriores fuerunt, quam qui a majore fratre ejus geniti erant. Hanc quoque temporum differentiam facile animadvertetis ex hac ipsa oratione, cum eam legeritis. Hæc Sulpicius Apollinaris, nobis audientibus dixit. Quæ postea ita esse uti dixerat, cognovimus:

mus: cum & laudationes funebres, & librum Commentariorum de Familia Porcia legeremus. Hactenus Aulus Gellius. Quamquam autem tot fuerint Catones; duo tamen potissimum celebrati sunt ob sapientiam, & præclare dicta, & fortiter facta. M. Porcius Cato Major, sive Censorius, aut Censorinus; & M. Porcius Cato Junior, sive Uticensis. Hinc est illud apud Juvenalem 7.: *Tertius e cœlo cecidit Cato*. Porro Uticensis Porcii Catonis hoc vitæ breviarium, ex Cicerone, Plutarcho, ceterisque Scriptoribus, qui bellum civile, Cæsarem inter atque Pompejum memorarunt, confectum. Nutritus fertur cum fratre Cepione ac Porcia sorore apud Livium Drusum avunculum. Hic annum natus vix quartum decimum virile tamen in puerili corpore ingenium prodidit, ac patriæ amantissimum. Cum enim semel de Syllæ tyrannide in cives audisset; gladium confidenter dari sibi postulavit, quo tyrannum illum ipse sua manu conficeret. Stoicorum sectam maxime secutus, eorum se præceptis affatim imbutum, tum tota vita, tum vero primum servili bello, adversus Spartacum, V.C. DCLXXXI. ante Christum natum LXXIII. præclara protulit documenta. Mox Tribunus Militum imperavit in Macedonia; hinc in Asiam, contemtu ab instituto minime deterritus, tetendit; ubi tamen a Pompejo Imperatore & Rege Deiotaro est honoratus. Quæsturam postea adeptus, illam magna severitate & fidelitate administravit. Magistra-

7. Satyr. 2.

ſtratum olim, ne malus civis & indignus illum obtineret, ob id tantum petivit. Ciceroni in detegenda ac profliganda Catilinæ conjuratione ſeſe ſocium adjunxit; & pro conjuratis puniendis in Senatu, contra Cæſaris orationem, peroravit; utque capitali pœna plecterentur, obtinuit. Marciam conjugem Hortenſio oratori, qui eam deperibat, conceſſit in uxorem. Quo mortuo, eamdem rurſus ſibi conjungere matrimonio non recuſavit. In Cyprum procuratam ſibi ab æmulis, quo illum Senatu atque Urbe ſummoverent, expeditionem ſanctiſſime peregit; prædam omnem hoſtilem publico ærario reſervans. Severior tamen etiam amicis aliquando viſus eſt. Ceterum, civili, Cæſarem inter atque Pompejum, exorto bello, multum, ut illos componeret, multum ne quid Reſpublica perciperet detrimenti, incaſſum tamen, laboravit. Ad extremum, Pompejanas ſecutus partes, quod illæ magis e Republica viderentur; poſt Pharſalicam pugnam, & Pompeii mortem, V.C. DCCVI. ab Urbe in Africam ſe contulit; ibique cum Jubæ Regi & Scipioni Imperatori ſeſe conjunxiſſet; poſt Lybiæ deſerta loca, incredibilibus incommodis, cum reliquiis Pompejanarum copiarum peragrata; eum exercitum demum Scipioni conceſſit. Ipſe Uticam ſe recepit; ubi ſe perſequentem Cæſarem audiens; veritus ne in poteſtatem ejus veniret; aut moliri, vel certe pati, contra patriam aliquid cogeretur; ſpontaneam omnibus mortem prætulit.

Qua-

Quare Platonis Librum, Phædonem nomine, qui de animæ immortalitate est, sibi afferri jussum, bis totum remotis perlegit arbitris. Accito mox filio Catone, ut victoris Cæsaris ad clementiam se reciperet, hortatus est. Deinde omnibus dimissis, pugione sese transfixit. Cum tamen vulnus, haud ita lethale, necem differret; ejus ejulatu aliquo, vi doloris expresso, vel ab invito, moniti amici, luctantem cum morte deprehenderunt. hortatumque ut vellet vivere, curatoque vulnere, specie somnum captandi, solum iterum, ita orantem, dimiserunt. Itaque intempesta nocte, fasciis conscissis, digitos in vulnus, quandoque ferro omni fuerat privatus, violenter adeo conjecit, ut per dilatatum, viscera simul atque animam violentus effunderet. Periit V. C. DCCVIII. ætatis octavo & quadragesimo, Hæc in summa Uticensis Catonis gesta. Laudatus est hic summopere a Cicerone; cujus testimonio, eumdem in Tusculano versari solitum fuisse, dignoscimus. Neque dubitamus quin in hac Porciæ suæ Gentis villa, nunc *Monte Porcio*. De illo sic Tullius 8.: *In Tusculano cum essem, vellemque e Bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti; veni in ejus villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem. Quo cum venissem; M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in Bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris: erat enim, ut scis, in eo inexhausta aviditas legendi; nec satiari poterat. quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa* 8. *De finib. lib.* 3.

Cu-

Curia soleret legere sæpe, dum Senatus cogeretur, nihil operæ Reipublicæ detrahens. Quo magis tunc in summo ocio, maximaque copia, quasi helluo librorum, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. cetera. Eumdem ab excellentia virtutis sic Tullius idem

9. Philipp. 13. commendavit 9.: *Qui vero Prætorii? quorum princeps M. Cato, idemque omnium gentium virtute princeps.*

10. Pro Muræna. Atque alibi 10.: *Et primum M. Catoni vitam ad certam rationis normam dirigenti, & diligentissime perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo respondebo.* Quanti autem hunc Catonem Cicero faceret, præclarissimum illud est Tullii testimonium ad At-

11. Lib. 2. n. mih. 16. ticum 11.: *Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum*

12. Ad Attic. l. 1. n. 53. *millibus*. Rursum 12.: *Cato heros noster*. Librum denique, ut cetera omittam, de Catonis laudibus se

13. Attic. l. 12. n. 52. scripsisse idem est testificatus 13.. Cujus laudationem, & Brutus ille Cæsaris interfector scripserat. Cæsar tamen ipse Libros duos contra Catonem vulgavit, quos nominavit *AntiCatones*; quosque Tullius multum irrisit. Lucanus vero, more poetarum nihil mediocriter vel commendantium vel vituperantium, Catonem diis suis æquare non dubitavit, de civilium exitu bellorum, Cæsarem in-

14. L. 1. sub init. ter atque Pompejum locutus 15..

quis justius induit arma,
Scire, nefas. magno se judice quisque tuetur.
Victrix caussa deis placuit. Sed victa Catoni.

Duodecim exhibet Joannes Vaillantius Porciæ

15. Famil. antiq. Rom. t. 2. Gentis nummos 15., fere omnes ad M. Porcium

Ca-

Catonem Uticenſem ſpectantes, in quibus quod nihil peculiare pro Tuſculanis ſit monumentis, eorum explicationem omiſimus. Statuam quoque haud ita multis ab hinc annis prope Ciceronis Tuſculanum effoſſam, quamquam ſine capite, has literas in baſi habentem, *M. Porcius Cato*, ad hunc Uticenſem ſpectare credimus. Sororem habuit idem Uticenſis & filiam *Porcias* nominatas. Et ſoror quidem ante Domitio Ænobarbo nupſit, cujus laudes Cicero, Lollius, & Varro meminere. Hanc, ante necem Julii Cæſaris, obiiſſe, ferunt. Porcia vero Uticenſis filia Bibulo primum, qui Julii Cæſaris in Conſulatu Collega fuit, nupſerat. mox Bruto Cæſaris intefectori. Virilis animi fœmina Porcia hæc memoratur. humanioribus quoque literis exculta. Maritum Brutum conjurationem in Cæſarem machinantem a propoſito deterrere, gravi ſibi inflicto vulnere conata eſt. Mox, cum nihil profeciſſet; conjugemque prælio victum & extinctum audiens, accenſis carbonibus devoratis, fortiter periit. De illa, præter ceteros, ſic Martialis: 16. 16. L.1.ep.43.

Conjugis audiſſet fatum cum Porcia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma dolor:
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari?
Credideram, ſatis hoc vos docuiſſe patrem.
Dixit; & ardentes avido bibit ore favillas.
I nunc & ferrum turba moleſta nega.

Num ex hac Porcia Gente fuerit Porcius Feſtus, qui Neronianis, atque etiam Claudianis, Ca-

Dd ja-

janis, ac Tiberianis, temporibus floruit, missusque in Judæam Provinciam Prætor, sive Pro-Consul, Felici successit, Divumque Paullum Doctorem Gentium ad 17. Neronem vinctum Romam ipse misit, incertum est. Illud quidem certum, Porciam Gentem Romæ sub Vespasiano adhuc floruisse. Produnt hoc inscripti veteres Lapides, a Ligorio recensiti. Primus 18.

17. Act. Apostol. c. 25.

18. v. Porcia.

M. PORCIO M. F. ANIENS. APRO II. VIRO
PRAEF. FABR. TRIB. MIL. LEG. VI. FERRAT
PROC. AVG. AB ALIMENTIS. FLAMIN
P. H. C. P. H. C.

Alter vero.

IMPERATORI CAESARI
VESPASIANO. AVG. PONT. MAX
TRIBVN. POT
VIII IMP. XIX. COS. VIII. P. P
L. PORCIVS. SABELLVS. II. VIR
PECVNIA SVA D. D. D

Nam ex alia gente fuit Porcius Latro, Orator celebris Cordubensis, cujus in Catilinam oratio quædam circumfertur. Nisi tamen hunc quoque ex Porcia Gente Tusculana dixerimus natum a posteris M. Porcii Catonis Censoris, quos ille dum in in Hispania versaretur, ibidem progenerasset. Porcius vero Licinius Poeta post secundum bellum Punicum ex Licinia potius, quam ex Porcia gente fuisse videtur. Ejus meminit 19. Gellius; quatuorque ipsius versiculos, fere quot extant, apponit, ex persona Antonii Juliani Rhetoris Hispani recita-

19. Noct. Attic. l. 19. c. 10.

tatos. Gellii verba, *Tum resupinus, capite convelato, voce admodum quam suavi versus cecinit Valerii Æditui veteris Poetæ, item Porcii Licinii, quibus mundius, venustius, limatius, pressius, Græcum, Latinumve nihil quicquam reperiri puto.* Post versus vero Valerii Æditui recitatos, subdit Gellius: *Item dixit versus Porcii Licinii, hosce:*

Custodes ovium, teneræque propaginis agnûm,
Quæritis ignem? ite huc. quæritis? ignis homo est.
Si digito attigero, incendam silvam simul omnem.
Omne pecus flamma est. omnia quæ video.

Ex alia certe Gente fuisse accepimus Valerium Catonem, cujus meminit inter illustres Grammaticos Svetonius Tranquillus. Quoniam tamen & hic villulam habuit in Tusculano, omittendus non fuit. De hoc itaque sic Tranquillus: *Valerius Cato, ut nonnulli tradiderunt, Bruseni cujusdam libertus ex Gallia; ipse libello, cui est titulus* INDIGNATIO, *ingenuum se natum, ait, & pupillum relictum, eoque facilius licentia Syllani temporis exutum patrimonio. Docuit multos, & nobiles: visusque est peridoneus præceptor, maxime ad poeticam tendentibus. ut quidem apparere vel his versiculis potest.*

Cato Grammaticus Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas.

Scripsit, præter Grammaticos libellos, etiam poemata. Ex quibus præcipue probantur LYDIA & DIANA. *Et Lydiæ Ticida meminit.*

Lydia doctorum maxima cura, liber.

Dianæ Cinna:

Sæcula permaneas nostri Diana Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie ac pene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana Villa *creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus.*

Si quis forte mei domum Catonis
Depictas minio assulas, & illos
Custodis videt hortulos Priapi;
Miratur, quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assecutus;
Quem tres cauliculi, & selibra farris,
Racemi duo, tegula sub una,
Ad summam prope nutriant senectam.

Et idem rursus,

Catonis modo, Galle, Tusculanum
Tota creditor Urbe venditabat.
Mirati sumus, unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes solvere posse quæstiones,
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti; en jecur Cratetis.

Hactenus Svetonius. Porro huic Catoni sunt qui tribuant carmen illud, quod Virgilio plerique omnes adjudicaverunt, cui titulus *Diræ*. Certe sub Catonis Grammatici nomine, duobus curantibus Scaligeris, liber prodiit, cum Christophori Arnodii notis, Lugduni Batavorum, a V. Partu CIƆIƆCXXXII.

Ce-

Ceterum villarum Porciæ Gentis rudera juxta Montem Porcium apparent; circa locum maxime, ubi Deiparæ ſacrum ſacellum vulgo *La Madonna del Tavolaccio*. Ipſe autem Pagus, ſive ipſum oppidulum Montis Porcii, amœniſſimo loco ſitum, Gregorio Tertio-Decimo Pontifici Maximo ſua debet incrementa, ac tantum vix non originem. Cum enim Pater hic non Patriæ tantum, ſed Univerſi plane Terrarum Orbis, quem paterno beneficentiſſimo ſinu complexus eſt; cum, inquam, in proximam Montis Draconis villam, per Autumnum, dies aliquot a graviſſimis curis animo reficiendo, diverteret; quæ tunc Altæmſiorum villa erat, nondum ea, qua nunc viſitur, magnificentia conſtructa; & ipſe Mons Porcius a domibus fere deſtitutus, vineis tantum abundaret, & frugibus; dum interim diſperſi circa agricolæ inſalubribus locis habitarent; rerumque omnium ad animi culturam proficuarum ac neceſſariarum ob Ædis ſacræ atque Sacerdotum inopiam, ſummopere egeni eſſent; miſericordia amantiſſimus Paſtor illarum quoque Ovicularum ſuarum commotus; in unum veluti gregem, unamque ſalubrem caulam, illas congregaturus, in ipſo Monte Porcio ſacram Ædem Divo Gregorio Magno dedicatam conſtruxit, Pontificio ſumtu, inſtruxitque. Ibi Sacerdotes ſtabiliti, qui oppidanorum animis univerſa cultura proſpicerent, incolas ad locum inhabitandum multos continuo attraxerunt. brevique vici plures, domi-

bus

bus hinc atque hinc ædificatis, conſtituti; recti quique, & polita ſtructura domorum ornati. Cumque vicina Mondragonia villa in eam, quæ nunc eſt, magnificentiam augeretur; fabri cœmentarii, murarii, lapicidæ, ferrarii quoque ac lignarii, quorum ingens in ea mole exercebatur copia; primi fere omnium Monti Porcio oppido frequentiam incolarum induxerunt. Ibi enim ſemel viciniæ opportunitate cum ſubſtitiſſent; perpetuas deinde, aliis quoque ſibi conſtructis ædibus, ſedes fixerunt. Quas inter, non omittendæ illæ Anglorum in Urbe Collegii, quo per Autumnum quotannis, a literarum ſtudiis Alumni divertunt, quæque prædiis eidem Collegio adtributis circumdantur. Nec Turris, extra quidem oppidum, ſed juxta ipſum, in tumulo amœniſſimo erecta, multaque cupreſſu circumſita, ad quam Goſwinus Nikelius Germanus Societatis Jeſu Generalis Præpoſitus Decimus, neceſſariæ a negociis univerſi Ordinis animi relaxationis cauſſa, ſeſe conferre conſueverat. de cujus pariter nomine deſumto vocabulo, *Turris Nikeliana*, vulgo *Torre di Nikel* nunc quoque appellatur. Vinum horum collium Romæ quamplurimum commendatur; & cum in planicie uberes admodum ac lætæ proveniant ſegetes; eſt hic quoque aliquod Bacchi Cererisque certamen.

Porro deſcendentibus ex Monte Porcio, via, quæ ad oppidum Columnæ ducit, villa eſt ab Cardinali Pallotta extructa, jamdiu tamen dilabens, cu-

cujus in Porticu antiquus hic lapis legitur; quem nos ex Alexandri Leslei Soc. Jesu harum rerum diligentissimi scrutatoris recensione apponimus. Siquidem ille, aggesta humo amoveri jussa, diluique lapide, qui ara ingens est marmorea, notas ex illo ita descripsit.

C. IVLIO . P. F. HOR::::::
CORNVTO . TERT :: VL::::::
COS. PROCONSVLI . PROVINCI......
PROCONSVLI . PROVINCIAE . NARBO.....
LEGATO . PROPRAETORE . DIVI . TRAIANI
PROVINCIAE . PONTI. ET . BITH....
EIVSDEM . LEGATO . PROPR.....
PROVINCIAE AQVITANIAE . C..NSV:::
ACCIPIENDORVM . CV..TO.....
AEMILIAE . PRAEFECTO . AERARI . SA...R..
LEGATO . PROPRAETORE . PROVINC......
CRETAE . ET . CYRENARVM...A....E
INTER . PRAETORIOS . A . DIVIS. VES....
ET . TITO . CENSORIBVS . AEDILI. CE...
QVAESTORI . VRBANO
EX . TESTAMENTO
C. IVLIVS . PL. ANICIVS . VARVS . CORNVTVS:::

In ipso autem oppido Montis Porcii sigilla figlinarum ita Lesleus ipse descripsit.

STAT. MARCIVS
DEMETRIVS . F

Ex laterculo, literis in longum extantibus, non autem ut solet, in latum, dispositis. Item aliud ibidem repertum, apud Lupium recensitum.

L. LICINI . F. SVCCESSIANI

Et

Et dedicationem Aræ ex Albano lapide.

L. CANINIVS C
AVIDIVS . F
LVBENS . DED
MERITO

Porciæ Gentis (num vero Tuſculanæ noſtræ, nihil pronuncio) Libertorum meminit Lapis in vinea Brunona ad Viam Appiam viſus, & a Fabretto relatus his notis. 20.

20. *Inſcript. pag. 391. n. 259.*

PORCIA . M Ɔ. L CHRESTE
AMANTISSIMA . SVIS
MONVMENTVM . FECIT . SE
VIVA . SIBI . ET
M. PORCIO . ARTEMIDORO
PATRONO . SVO
AB AERARIO . ET
PORCIAI GLYCHERIAE
PATRONAE SVAE . ET
M. PORCIO . M. L. SODALI . VIRO
AB . AERARIO

Teſtaceum quoque Figulinæ ſigillum circa Montem Porcium repertum recenſuit Fabrettus ita ſignatum. 21.

21. *Pag. 517. n. 254.*

L LVRIVS MARTIALIS FE

Ad locum pariter, qui *Prata Porcia* ex veteri nunc quoque dicitur, Rep. Sal. an. CIƆIƆCCXXXV. ænea lamina refoſſa eſt cum literis. 22.

22. *Dominic. Georg. in Diſſert. de Veſtalib.*

CALPVRNIAE
PRAETEXTATAE
VIRG. VESTALI MAXIMAE
IMMVNI

CA-

C A P U T IX.

De reliquis Tusculanis Familiis ac Viris Romæ olim illustribus.



LURES, præter Porciam, Tusculanæ fuerunt Familiæ nobilissimæ, & rerum gestarum gloria Romæ celeberrimæ. Quarum omnium antiquissimam Mamiliam Gentem fuisse, nemo dubitat. Ne autem quis in duplici hoc vocabulo *Familia* & *Gens* forte hæreat, quandoquidem nunc unum, modo alterum usurpamus; sciat is, *Gentem* illam fuisse apud Romanos, quæ uno eodemque vocabulo appellabatur, ut nomine. quales Gens *Porcia*, *Mamilia*, *Fabia*, *Coruncania*; ex quibus in ingentem hominum multitudinem auctis, plures prodibant distinctæ *Familiæ*, quæ tamen una atque eadem erant *Gens*; & additis aliquibus cognominibus discriminabantur; ut Gens Licinia in Lucullorum, Murænarum, & Stolonum Familias discreta; aliæque. Cum autem propagarentur ipsæ Familiæ, novis iterum ad confusionem vitandam vocabulis, quasi Gens ex Gente in plures rursus Familias dividebantur. Hinc eadem hominum series, & *Gens*, minorum si Familiarum divisiones ex ea deductas aspexisses, merito appellata fuit: & *Familia* pariter, si ad majorum, ex quibus cum aliis pluribus seriebus, prodierat, originem, attendisses. Porro

Mamiliorum Gens & Familia Tusculi ad ipsum Conditorem oppidi Ulyssem primordia sua referebat. Neque inane hoc poetarum fabulatorumve tantum commentum; verum gravissimorum quoque historicorum, Dionysii & Livii, testimoniis fulta narratio. Livius enim de primo, quem ipse nominaverit, Mamilio, cujus Tarquinius Superbus Romanorum rex ultimus cognationem ambivit, sic 1. *Octavio Mamilio Tusculano (is longe princeps Latini Nominis erat, si famæ credimus, ab Ulysse, deaque Circe oriundus) ei Mamilio filiam nuptum dat.* (Tarquinius). Dionysius vero pluribus, ut solet: *Nobilissimum & potentissimum sibi junxit necessitudine, data ei in matrimonium filia. Is vocabatur Octavius Mamilius; genusque referebat ad Telegonum Ulyssis & Circes filium. habitabat autem Tusculi.* Quam originem antiquissimam; ejusque famam, libentissime, ut fit, Mamilii ejus posteri amplexati, eadem quoque gloriati sunt. Hinc Cajus Mamilius Limetanus, agrorum dividundorum Triumvir, nummos percussit, in quorum anteriori parte Mercurius cum petaso & caduceo; in posteriori vero Ulysses insculptus cernitur cum baculo & pallio, pileoque & cane, cumque literis C. MAMILIVS LIMEĀN. Quare Gens & Familia princeps hæc fuit Tusculi, ab ipso usque urbis ejus conditæ exordio. Eumdemque Principatum in Latinos universos, ab Historicis modo laudatis, obtinuisse tradi videtur. Quem & diu eadem in familia conservatum cognoscimus.

Si-

1. *Vide Libri huius Caput Primum.*

Siquidem non ſolum celeberrima illa pugna ad Regillum Lacum, quo ad reſtituendos in regnum Tarquinios, omne robur Latini Nominis convenerat, ipſe idem Octavius Mamilius, regis Gener, Dux, & Princeps totius exercitus, atque Imperator, memorarur 2.. Verum etiam V. C. ducenteſimo nonageſimo ſecundo Lucius Mamilius Tuſculanus Dictator ſtrenue cum ſuorum manu Romanum Capitolium de ſervorum manibus recuperavit. Ob hoc ipſe primum, mox Tuſculani univerſi, Civitate Romana donati ſunt. Quemadmodum fuſe, inter Tuſculanorum res geſtas narrandum, ſignificavimus. Atque hæc quidem ex Livio. Ceterum Mamiliam Gentem antea inter Patricias allectam, & Mamilios quoque inter Patres a Tarquinio Priſco Romanorum Rege Quinto V. C. CLII. qui tradunt; unde hi hauſerint 3., ipſi oſtendant. Nobis cum certorum honorum in hac Familia tantum ſuppetat, incertos admodum curioſe veſtigare non libet. Parcimus itaque labori quærendi quanam ratione Mamilia Gens in Octaviam tranſierit, ex qua Octavii, Auguſti Cæſaris majores prodiere. Cum enim nos abunde de Octavia Gente, inter Veliternorum 4. res narrandas, egerimus; ſupervacaneum, illa rurſus huc inſerere, merito ducimus. Id quidem contra Scriptorum illorum, qui hoc aſſerunt, ſententiam, invicte pugnare videtur. quod in Mamilia Gente, *Octavii* vocabulum, non quidem Familiæ nomen, ſed viri ſingularis prænomen

2. *Vid. cap. 1.*

3. *Ap. Mattei p. 116.*

4. *Vet. Lat. Libro ſexto.*

men fuit. Quemadmodum in Octavio Mamilio patet. Si enim vox *Octavius* nomen Gentis, sive Familiæ fuisset, Mamilii omnes *Octavii* pariter appellati essent. cum tamen contrarium contigerit. Nam & Lucium Mamilium, & Cajum Mamilium, & Titum, inter illustres hujus Gentis viros, memoratos legimus. Non ignoramus quidem, prænomina quoque aliquando & cognomina in Nomen Familiæ ex una Gente derivatæ transisse; verum hoc de Mamilia Gente, ut asseramus, solida adhuc argumenta non invenimus. Quare Octaviam suam Gentem, ut antea Velitris adjudicavimus, ita nunc, in sententia, ut par est, permanentes, eamdem eidem urbi cum suo Augusto Cæsare confirmamus. Igitur ex Tusculanis Octavii Mamilii posteris Titus Mamilius perhibetur descendisse, qui Consul Romæ fuit, V. C. A. CCLXXXIIII. Ex hoc autem Lucius Mamilius qui CCLXXXXIII. Capitolium cum suis Tusculanis, de servis recepit. Post hunc L. Mamilius Sabinus Vitellius, qui Consulatum cum Q. Fabio Gurgite gessit V.C.CCCCLXXXIV. Deinde Quintus Mamilius Vitellius Lucii Posthumii Megilli in Consulatu Collega, quarto post anno. Cui successit Cajus Mamilius Turinus Consul cum Q. Valerio, Urbis Conditæ IↃX. Secutus exinde C. Mamilius cognomento *Limetanus*, seu *Limitanus*, ita dictus, quod dividundis agrorum *limitibus* præfectus fuisset. Hic V. C. IↃL. Propraetore in Hispaniis sub Q. Cassio fuit; Tribunus quoque

Ple-

Plebis. atque idem creditur Tuſculus appellatus, quod eam regionem cum urbe ſubegiſſet. De qua etiam minorem triumphum retulit, qui dicebatur *Ovatio* ab ovis mactatione in ſacrificium, loco tauri, qui victima magni triumphi erat. In ovatione autem intrabat victor urbem pedes; ſequebaturque illum Senatus ſine exercitu.

Quidam nominum vicinitate decepti, inter Mamilios, *Manilios*, *Manlios*, aut *Mamulejos*, aut *Mamulajos* inſeruere; quorum errores alii ante nos animadverterunt, & emendarunt. Illi quoque, qui Octavios a Mamiliis derivant; ab Octaviis deinceps non ſolum Auguſtum Cæſarem, ſed & generoſiſſimam Comitum Tuſculanorum Familiam, qui Chriſtianis ſæculis potentiſſimi Romæ fuerunt, iidem deducunt; ajuntque Mamiliæ Familiæ monumenta adhuc extare in antiquiſſima excelſa Turri, quæ Romæ, regione Suburræ, adhuc viſitur. cujus auctorem L. Mamilium Patricium fuiſſe, divinantur. Quod antiquiſſimæ ſuæ nobilitatis argumentum ne penitus periret; reſtitutam, ajunt, eam turrim anno a Virginis Partu ducenteſimo undecimo ſupra milleſimum ab Petro ex Tuſculanis Comitibus, qui fuit Thraſimundi Innocentii Tertii Pontificis Maximi fratris filius. Cui reſtitutioni ipſe Pontifex Innocentius conſenſit, ut Romanorum nimiam in depreſſos Tuſculanos, quorum urbem exciderant, inſolentiam nonnihil reprimeret. Quare, turrim ipſam de Tuſculanæ urbis dirutæ

ſa-

ſaxis ædificari, præcepit. Quamvis hoc ipſum culpæ datum Innocentio, & vitio verſum ab Supremo Deo Judice, memoretur. Eam turrim modo licet multum depreſſam, *Tor de' Conti* appellamus. Porro, quamquam Comitum Familiæ aliæ Tuſculanorum, aliæ Signinorum, aliæ denique Anagninorum Comitum dicerentur; unam tamen eamdemque Comitum Tuſculanorum Gentem eas fuiſſe, affirmant, ab Octaviis & Mamiliis, Mamilio denique Octavio ab Ulyſſe oriundo propagatam. Mihi tamen tam lyncea oculorum acies non eſt, ut inter longinquiſſimarum ætatum, remotiſſimorumque ſæculorum pluſquam Cimmerias aut Ægyptias tenebras tantum diſpiciam. Melius itaque minus antiqua minuſque tenebris obvoluta Mamiliorum perſequar monumenta; & nummos quinque Mamiliæ Gentis Romæ illuſtris aliquantulum
ſ. Famil. Rom. ſ. 2. explicabo; quos poſt Urſinum, exhibuit Joannes ſ. Vaillantius.

In horum nummorum primo expreſſa eſt Juſtitia coronata cum literis S. C. *Senatus Conſulto*. A tergo eſt Sella Curulis, ſupra quam aratrum, cum laureis ad latera, faſcibuſque. Impreſſus fuit nummus V. C. IↃLXXXXIV. dum Cajus Mamilius Turinus Q. Mamilii Turini filius Prætor eſſet. ibique literæ *C. Mamilius Q. F. Turinus*. Nummi inſignia Conſulatus dignitatem in Mamilia Gente innuunt. aratrum vero annonæ copiam in Prætura Caii Mamilii deſignat.

Num-

Nummus alter in Quæſtura Provinciali Caii Mamilii percuſſus V. C. IↃCXIV. caput Mercurii exhibet petaſatum alatum. a tergo Ulyſſem cum pileo, baculo, & adverſo cane. quod originem Mamiliæ Gentis oſtendere, non uno loco jam diximus. Circa nummum notæ *Cajus Mamilius* LIMEĀ.

In tertio caput idem Mercurii; & idem Ulyſſes in parte averſa. notæ C. MAMIL. LIMETAN. circa vero ambitum IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST.

In quarto. Caput Dianæ, luna bicorni in fronte ornatum. arcus & pharetra ſub humero lævo. in area S. C. ex averſa parte C. MAMIL. LIMETA. Ulyſſes, ut ſupra.

In quinto. Caput Libertatis velatum. literæ. L CENSORIN. ex averſa parte C. LIMETAN. P. CREPVSI. Libertas in bigis cum pileo. Hic denarius ad Crepuſiam pariter gentem ſpectat. ideo a Triumviris monetalibus Lucio Cenſorino Cajo Mamilio Limetano, Publio Crepuſio, percuſſum credimus. ſignumque Libertatis ad Romanam Libertatem indicandam expreſſum, dicimus. Uberiorem horum nummorum interpretationem qui deſiderat, Vaillantium adibit. Tantum innuimus, in duobus Mercurium idcirco exhibitum a Mamiliis, quod is deus inter materni generis progenitores primus ab Ulyſſe Mamiliæ Gentis auctore haberetur. Ulyſſes enim habuit Laertem patrem & Antycleam, Autolyci filiam, matrem. Autolycus autem Mercu-

rio

rio natus; ſicut Laertes Arceſio Jovis filio. quod
6. Metam.13. non tacuit Ovidius, ex ipſius Ulyſſis perſona. 6.

Eſt quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. Deus eſt in utroque parente.

Ad Mamiliam quoque Gentem vetuſti nonnulli inſcripti lapides pertinent, quos Janus Gruterus, aliique recenſuerunt, in hæc verba. 7.

7. Reines. Cl. 6. n. 113.

I.

L. MAMILIVS
L. L. FAVSTVS. SEV. AVG
L. MAMILIO. L. F. ARN. MODESTO
SELECTO ET DECVRIONI
VIVOS SIBI. ET. LIBERTIS. SVIS. FECIT
L. MAMILIO. EPIMICIO. SEVIR. AVG
L. MAMILIO. ACTIO
CALLITYCHENI
L. MAMILIO FAVSTO
L. MAMILIO EVTYCHO
MAMILIAE PYRALLIDI

8. Grut. p. 694. n. 12.

II. 8.

D. M.
MAMILIAE
CN. FIL
LOCHIMAE
RVFVS PATER
FILIAE
DVLCISSIMAE

9. Marm. Felſin. p. 22.

III. 9.

A. MAMILIA
CHARITONIS
CALPVRNIAE

D. L.

Ɔ. L HILARIAE
CERDONIS ET
LIBER . LIBERTAB
IN FR. P. XII
IN AGR. P. XVI

I *V.* 10. 10. *Gruter. p.* 555. *n.* 10

L. NVMERIA
L. F. FELICI
7. LEG. VII G. P.
7. LEG. XX VICT
7. LEG. XXII P. R
7. LEG. III. CYR
7. LEG. III ITAL
MAMILIA
PRISCA MARITO
OPTIMO

V. 11. 11. *Gruter. p.* 434. *n.* 5.

T. MAMILIO
SILONIS FIL. QVIR
PRAE . BENTI
TRITIENS MEGALE
OMNIB. HONORIB.
IN . R. P. S. FVNCT
DECVRIALI ALLEC
CAVSATO A DIVO
PIO FLAMINI P. A. C
C. P. A

Notæ illæ in hoc ultimo lapide: *Omnib. Honorib. In R. P. S. Funct. Omnibus honoribus in Republica sua Functo* innuere videntur Rempublicam Tusculanam, quæ sua erat, Titi Mamilii Silonis Filii. Quæ interpretatio, si vera est, Tusculanorum aliquam

 fuis-

fuisse Rempublicam etiam sub Cæsaribus, significat. Siquidem hic Mamilius dicitur *Causatus* h. e. excusatus ab exercendo munere Decurialis a Divo Pio Antonino Cæsare. Et hæc quidem de Mamilia Gente Tusculana nobilissima.

Furiam Gentem Tusculanis adjudicasse visum est Furiorum sepulcretum in Tusculani montis clivo, apud Patres, quos vocant *Camaldulenses*, detectum anno a V. P. MDCLXV. Aprili mense. quod subterraneum erat. Et primo quidem quoddam quasi vestibulum lapidibus quadratis constructum apparuit. porta deinde ex lapide *piperite* & ingenti saxo obstructa, arcu superposito. Specus tandem, in qua arca prægrandis eodem ex lapide. Intra hanc vasa mortualia plura, singula Furiorum nominibus insignita. Via ad sepulcrum lapidibus strata. Hæc Furiorum antiquis literis nomina incisa vasis. 1. Q.FOURIO A.F. 2. P.FOURIO C.F. 3. C.FOUR. 4. C.FOUR. M.F. 5. M.F. 6. FOURIO M. F. C. N. fortasse. nam ultima litera dubiæ est lectionis. 7. CN.FOURIO. literarum forma & constans incisio nominis *Fourius* pro *Furius* antiquitatem primorum Romanæ Reipublicæ sæculorum redolere videtur, in quibus *Navebous* pro *navibus*, *Boubous* pro *bobus* scribebatur: cujusmodi multa in Columna Rostrata C. Duyllii, adhuc extante ad Capitolium, leguntur. Et illud antiquitatis ejusdem argumentum, quod vascula plura samia, sive testacea, ibidem reperta sunt. quorum usus in antiquissimorum temporum sa-

ſacrificiis. Unde Juvenalis 12. 12. Sat. 2.

Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum.

annuli quoque omnis generis, oſſei, æenei, aurei, argentei; quos amoris ergo, & fidelitatis, cognati ac propinqui, amici quoque, liberti ac ſervi in defunctorum ſepulcra conjiciebant. Hujus ſepulcri imaginem damus ex fidelibus deſcriptam antiquioribus. Ceterum, ideo Tuſculanis Familiis Furiam hoc ſepulcrum adjudicaſſe viſum; quia Veteres in villarum paternarum aditu, vel luco, etiam ſepulcra habuerunt in patriæ ſuburbiis. Locus autem hujus ſepulcri ex iis, quæ de Tuſculi urbis ſitu fuſe diſſeruimus, in ejuſdem ſuburbio antiquiſſime conſtitutus videtur. Profecto Furia Gens in plures Familias diſtincta fuit. ſcilicet in Furios Philos, h. e. Amicos, in Furios Camillos, in Furios Pacilios, Bibaculos, Medullinos, Craſſipedes, Purpureones, Brocchos, alioſque: quorum ſeriem diligenter Kircherius noſter, de cujus penu hæc de Furiis depromſimus, texuit. Furiæ Gentis Vaillantius nummos novem exhibuit, & explicavit. Profecto quamplurimis hæc viris celeberrimis fortiſſimiſque ſemper claruit: quorum res geſtæ notiſſimæ apud Hiſtoricos, hic ſupervacuum repeterentur.

Quintiam tamen Gentem Tuſculanis adjudicare non poſſumus; quod Mattejus fecit. Cum eam fuiſſe Albanam Livius & Dionyſius apertiſſime declaraverint. Livius enim de Albanis Romam translatis ab rege Tullo, Alba diruta, diſſerens 13.. 13. Lib. 1.

 Prin-

Principes, inquit, *Albanorum in Patres, ut ea quoque pars Reipublicæ cresceret, legit: Tullios, Servilios,* QUINTIOS, *Geganios, Curiatios, Cloelios*. Similia Dionysius. Unde igitur Mattejus, Quintios Tusculanos fuisse; & existimavit, & scripsit? ex verbis, crediderim, quibusdam ipsius Livii, quibus dicitur T. Quintius in Tusculano agrum coluisse; atque exinde vi tractum e villa, ut seditiosorum quorundam contra ipsos Romanos cives & Magistra-
14. Lib. 7. tus, imperator pugnaret. Verba Livii 14.: *Postero die, cum eadem deliberatio teneret; ex prædatoribus vagis quidam compertum attulerunt, T. Quintium in Tusculano agrum colere, urbis honorumque immemorem. Patriciæ hic vir gentis erat. cui cum militiæ magna cum gloria actæ finem pes alter ex vulnere claudus fecisset: ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. Nomine audito; extemplo agnovere virum: & quod bene verteret, acciri jusserunt. Sed parum spei erat, voluntate quicquam facturum. vim adhiberi, ac metum placuit. Itaque silentio noctis, cum tectum villæ, qui ad id missi erant, intrassent: somno gravi Quintium oppressum, nihil medium, aut imperium atque honorem, aut, ubi restitaret, mortem, nisi sequeretur, denuntiantes, in castra pertraxerunt*. cetera. Ex quibus nil aliud cognoscimus ad Tusculanos pertinens, quam, quod Quintius iste villam & prædium habuerit in Tusculano; quod nullum est, ad ejus patriam Tusculum fuisse, probandum, argumentum. Siquidem neque Tusculo hunc oriundum hic dicit Livius; neque illum in-

inde ortum fuisse, locum ullum ad suspicandum relinquit; cum addit Patriciæ Gentis Quintiæ hunc virum fuisse; quam jam superioribus Libris Albanam, & ab Tullo rege Romam adductam, & inter Patricias allectam, prodiderat.

Mattejus idem Gentem *Valeriam* asserit Tusculanam; inducitque duorum lapidum, quos jam recitavimus, testimonium; L. Valerii & C. Ancarii, in quibus, repertis in Tusculano, Valeriorum mentio fit. Rursumque Aristidis Milesii hæc refert verba: *Valeria Tusculanaria ob iram Veneris Valerium patrem deperibat*. Et Hieronymi Columnæ alia. *Faunum editum ex nefario Valerii Tusculani cum filia incestu*. Quibus neque assentiar neque dissentiar; cum in neutram partem uberiora sint argumenta. Si tamen Tusculana origine fuit Gens Valeria, maximum certe decus huic urbi attulerit; cum Poplicolæ, Barbati, Asciculi, Flacci, Levini, aliique, gloriosissimas pro Romana Republica res gesserint. Et Poplicolarum quidem Valeriorum Familia, quæ etiam *Poblicolarum*, & *Publicolarum* dicta est, perdurare adhuc Romæ perhibetur illustris; illa nempe, quæ Principum *Sanctæ Crucis* appellatur, juxta antiquissimam de suo pervetusto nomine sacram Ædem. *Sanctæ Mariæ in Publicolis* nuncupatam.

Ceterum firmius multo Tullii testimonium habemus pro *Juventia, Fabia, & Coruncania* Familiis Tusculo asserendis. Is enim in oratione pro Plancio, M. Laterensem adversarium suum allocutus: *Tu*

Tu es, inquit, *ex Municipio antiquissimo Tusculano, ex quo plurimæ Familiæ sunt Consulares, in quibus est etiam Juventia, quot e reliquis Municipiis omnibus non sunt.*

De *Fabia* quidem addubitari nonnihil potuisse videbatur, num Albana origine Gens esset. Siquidem Plinius Fabienses Populos in monte Albano 15. recenset, ab oppido ibidem extructo, quod *Fabium* antiquis Latinis est dictum. Et ex Fabia Tribu Albanos plures prodiisse, Lapides vetusti, a nobis Albana inter monumenta producti, idipsum confirmare videbantur. Ciceronis tamen testimonium clarissimum & certissimum Fabiam Gentem Tusculo, ulla prorsus sine controversia adjudicavit. Pergit enim Tullius in Planciana: *Num aliquando vides Tusculanum aliquem de Marco Catone illo in omni virtute principe, num de T. Cornucanio municipe suo, num de tot Fabiis gloriari?*

15. Lib. 3. c. 5.

Porro infinitum pene decus Tusculanæ urbi, quod Fabiorum prima, ante Romam, fuerit Mater, accrevit. Quis enim hujus Gentis præclarissima belli domique facta non noverit? Hæc itaque nobilissima de *fabæ* satione primum nomen invenit. eo enim tempore, quo Romani pene omnes agriculturam exercebant, primus qui hoc nomine est appellatus, *in faba serenda* excelluit, ob id *Fabius* dictus. Quamquam aliorum fuerit opinio, a *Fovea*, primum *Fovios*, seu a *favia*, aut *favea*, quæ antiquitus eadem fuit ac fovea, *Fabios* fuisse denominatos.

quod

quod Hercules matrem ejus, unde genus hoc coepit, in Fovea compressisset. Verum fabulosa omnino hæc origo ac nominis derivatio; meritoque primæ *de Fabarum satione* posthabenda. cum a Fabis Fabios, quemadmodum a lentibus Lentulos, a ciceribus Cicerones, a pisis Pisones, hisque similia, permulta nomina sic derivata, & Varro, & Plinius, & ceteri antiqui Scriptores pene omnes fuerint testificati. Ceterum Fabiorum Romæ tanta potentia fuit, ut bellum adversus Vejentes sola hæc Familia cum suis clientibus in sese receperit. Sed cum ex levibus aliquot præliis sæpius victoriam reportassent; tandem, ad Cremeram fluvium, insidiis circumventi, ad unum omnes cæsi sunt. Quod Livius 16. pluribus. & Ovidius. 17.

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes.
Ad bellum missos perdidit una dies.

Consulto nihilominus ex eadem Gente unus, quod impuberi adhuc ætate foret, domi relictus est; a quo rursum copiosissime Gens est propagata. Hoc ipsum Ovidius, ad Fabium Maximum scribens, memoravit: 18.

Qui nasci ut posses; quamvis cecidere trecenti;
Non omnes Fabios abstulit una dies.

Ex his itaque celeberrimus Fabius Maximus secundo Punico bello Rem Romanam, ex Imperatorum vel audacia vel socordia, ad nihilum pene redactam sua prudentia & fortitudine restituit. Siquidem juvenem Annibalem victoriis exultantem, & in-

16. *Liv. lib.2. cap. 28. Edit. Patav.*
17. *Fastor. lib. 2.*
18. *De Ponto lib. 1. El. 2.*

induciarum impatientem, cunctando fregit. Unde *Cunctatoris* celebre fuit nomen adeptus. De quo Virgilius ex Ennio. 19.

19. Lib. 6. Æneid.

Quo fessum rapitis Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.

Ex quo mutuatus, plura post sæcula Andreas Savinus Societatis Jesu nobilis Orator, cum diuturna, præter morem, ab excessu Innocentii X.P.M. fuissent Comitia; & ab iisdem tandem Fabius Chisius Senensis, Alexandri Septimi nomine fuisset electus; ingeniosum illud protulit, jam vulgatum.

Romanam Fabius cunctando restituit rem:
Romaque cunctando restituit Fabium.

Siquidem, Savinum horum carminum auctorem fuisse, a majoribus ejusdem pernecessariis accepi. Ceterum, ex antiquis Fabiis & alius fuit celeberrimus cognomento *Allobrox* ob regem Allobrogum ad flumen Isaram interemptum. pluresque nobilissimi viri, quorum rebus gestis Romana Historia referta est. *Fabia Tribus* num a Gente Fabia, num ab oppido Fabio in Monte Albano, unde Plinio *Fabienses* Populi, originem duxerit, incertum mihi est. Eam quidem ex Rusticis unam fuisse constat. De illa Horatius. 20.

20. Lib. 1. ep. 6.

Si fortunatum species & gratia præstat,
Mercemur servum, qui dictet nomina; lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere. hic multum in Fabia valet; ille Velina.


21. C. 40.


Et Svetonius in Augusto 21.: *Comitiorum quoque pristi-*

Tab. VIII.


VERA DELINEATIO VETERIS SEPUL
CRI FURIORUM *in agro Tusculano detecti*








id est, Q. TURPILIO LUCII FIL.



hoc est, *Quinto Furio Auli filio*.



id est, *Publio Furio Cay filio*.



Aliæ inſcriptiones in fragmentis

1. C. POVR.	*Cajo Furio*
2. C. POVR M. P.	*C. Furio Marci fil.*
3. M. P.	*M. Filius*
4. FOVRIO M.F.C.F.	*Furio Marci fil. curare fecit.*
5. CN. FOVRIO	*Cneo Furio*

CONDITORIA CINERARIA,

una
cum Inſcriptionibus in Sepulchro Furiorum Tuſculano
reperta.

ſtinum jus reduxit; ac multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis & Scaptienſibus tribulibus ſuis die Comitiorum, ne quid a quoquam Candidato deſiderarent, ſingula millia nummum a ſe dividebat.

Laterenſem Familiam Tuſculo aſſerit Marcus Laterenſis ille, qui de ambitu Cneum Plancium Atinatem accuſavit; adverſus quem Cicero Orationem habuit pro Plancio. Siquidem diſertiſſime ibi Tullius Laterenſem ex Municipio antiquiſſimo Tuſculano fuiſſe dixit. Num autem eadem *Laterenſis* Familia, atque *Lateranenſis* & *Laterana*, decidere non auſim. Ligorius quidem Lateranenſem Tuſculanam facit. Aitque ampliſſimas ædes (de quibus Juvenalis 22.: *Lateranorum obſidet ædes tota Cohors*) in Cœlio Monte cum Balineis & Thermis a Lateranis ad Fauſtos hæredes tranſiſſe; atque per Fauſtam Conſtantini Magni uxorem in hujus poſſeſſionem deveniſſe. a quo, Divo Silveſtro Romano Pontifici, ut ibi ſtabilem ipſe cum ſucceſſoribus ſedem haberet, juxta magnificentiſſimum templum Deo Optimo Maximo, & Jeſu Chriſto ejus Filio Deo Homini ab ſe conſtructum & dedicatum, donatæ ſunt. Verum de origine hujus Familiæ Tuſculana, certiora deſiderarem.

22. *Satyr.* 10.

Illud quidem certum habemus ex Cicerone 23. Bambalionem quemdam ſtupidum hominem, cui ipſum id nomen ab ſtupore cordis & linguæ fuerat tributum, ſocerum fuiſſe M. Antonii Triumviri, qui Tuſculanam proinde habuit uxorem. Quamquam

23. *Philippic.* 3.

quam autem plures Antonius uxores habuerit; de Fulvia nihilominus locutum Ciceronem, quod Tusculana fuerit, existimo. Siquidem adversus hanc apertissimæ Ciceronis exarserunt inimicitiæ. cujus demum odio periit lingua illa, qua Latinus Orbis loqui olim solebat; & mortua quoque, aculeis crinalis acus transfixa fuisse ab Fulvia memoratur.

Num autem Tusculanas veteres inter Familias merito recenseri debeant nomina, quæ in sepulcralibus Agri Tusculani refossis lapidibus insculpta leguntur, stabilire non ausim. Quamquam, ne monumenta illa ad Tusculanos utcumque spectantia, in hoc de Tusculanis nostro novissimo Commentario desiderarentur, eadem huc attexere visum nobis sit opportunum. In Agro itaque Tusculano prope Marinum oppidum, Villa Bolia, recensuit Fabrettus hujusmodi inscriptum lapidem. 24.

24. Cap. 2. Inscript. pag. 81. n. 104.

D M
M. ATTIVS ADIVTOR SIN
SE VIVO FECIT . SIBI . ET . LI
BERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM OMNIVM
ITA . VT . NE . DE . NOM. EXEAT

Et alium prostantem ibidem his notis. 25.

25. Pag. 295. n. 2[illegible].

DIS MANIBVS
ONESIMVS . M. VOLCEI . FIRMI
DISPENSATOR . ET . EPITEVXIS
FECERVNT . PAVLLINAE . FILIAE . SVAE
DVLCISSIM . ET . SIBI . ET . SVIS
POSTERISQ. EORVM

Tertium quoque villa Bevilaquea apud Marinum in

in fronte ſarcophagi, in quo nymphæ Tritonibus inſidentes. 26. 26. Pag. 383. n. 211.

D . M
T. FLAVIVS . PROCLVS
ET FLAVIA CLEMENTILLA
ET FLAVIE sic PROCLE N. P. T
Q. V. A. IIII. M. X
D XXV
F. C. R

Et quartum ibidem, in quo mulier jacens inſcuplta catello blandiens. iuxta autem menſa tripes. 27. 27. Pag. 384. n. 219.

M. ANTONIO ABASCA
NTO . ANTONIA . SPES
CONIVNX . ET . COLLI
BERTA . ET . T. CLAVDIVS
CRYSANTHVS . B. M
LIBERTIS . LIBERTAB
VSQ. POSTERISQVE . SV
IS . IN . FR. P. II. IN . AG P. II

Quintum pariter ibidem extantem. 28. 28. Pag. 476. n. 140.

DIS MAN
T. FLAVIO . AVG. LIB
PHILOMVSO DEC
VNCTORVM . VIXIT . ANN
LXXI. HERMES . LIB. PATRONO
B. M.

Et ſextum apud Veſpignianum Tuſculanæ villæ dominum, quæ olim fuiſſe creditur Serv. Sulpic. Galbæ Imperatoris, in fronte rotundi oſſuarii vaſis. 29. 29. Fabret. p. 637. n. 316.

FANNIA . P. L. SEMENTIVA
Q. PARICVS . Q. L. VRBANVS
SIBI . ET . CONIVGI . SVAE

30. *Id. p. 701. n. 231.* Septimum ſub Marino vinea R.P.D. Thierry. 30.

L. PLVTIO L. L. EROTI
PLVTIA L. L. AVGE
FECIT . SIBI . ET
VETVRIAE C. C. L. ATTICAE

Utrum vero Gens aliqua ſive Familia JULIA Tuſculana olim fuerit, dubium aliquod monumenta ejuſdem in Agro Tuſculano detecta nuperrime creare poſſint. Siquidem anno a Virginis Partu trigeſimo ſupra milleſimum ſeptingenteſimum Franciſcus Blancus Tuſculanus Civis primarius, idemque Tuſculanæ militiæ Dux, ſive Centurio, in prædio ſuo prope Tuſculanum olim Ciceronis, & proxime locum, qui vulgo dicitur *la Bagnara*, præter innumera elaboratorum marmorum fragmenta, refodit quamplurimas tegulas maximi moduli, quas Antiqui *Opus Doliare* nominabant, eoquod teſtaceæ eſſent, ejuſdemque materiæ ac dolia, ſive amphoræ, in quibus vinum, non in cellis vinariis ſubterraneis, ſed in altis horreis pice linitum, unde *picatum*, aſſervabatur. Sub hiſce tegulis oſſa mortuorum permulta. Exinde hypocauſta, & ſcalas ex lapide Tuſculano, vulgo *Peperino*; e quibus in cubicula deſcendebatur, muſivo ac teſſellato opere inſtrata; parietibus autem veterem picturam adhuc identidem oſtendentibus, quadratiſque e laterculis pulchre compactis. Intraque Blancus idem loci dominus ad duodecim marmoreas ſtatuas invenit, quas Melchiori Polignaco Gallo Cardi-

dinali dono dedit; qui in Gallias mox easdem transmisit. Inter hæc refossus lapis albus cum magnis literis: ASPER BIS CONSVL PRAEFECTVS URBIS; & mox basis statuæ apparuit cum inscriptione: IVLIAE IVLIANAE SORORI ASPRI. Quæ omnia in imo admodum ac depresso solo sita erant. siquidem subtus, atque infra ipsam agri, humilis ceteroquin, planiciem, viginti adhuc ipsos palmos, fossores descenderunt, inventione marmorei brachii sculpturæ perelegantis allecti, & reliquum statuæ se reperturos sperantes. Eoque magis, quod ibidem loci a Cardinali quondam Carolo Barberino egregii operis statua fuerat refossa. Ceterum Asper hic, de quo lapis erutus meminit, ille videtur esse, qui Consulatum priorem gessit, cum fratre simul cognomine, V. C. AN. CMLXV. a Christo nato, juxta æram vulgarem, CCXI., aut XII. prout aliter alii computarunt. Eo siquidem anno in Consularibus Fastis sic legitur: IVLIVS ASPER. IVLIVS ASPER. Filii hi fuerunt Julii, sive Juliani Aspri viri celeberrimi sub Severo Imperatore, ac potentissimi, qui dum Africæ Proconsul esset, contra Christianos, quamvis invitus fecisse dicatur, Imperatoris edicta acerrime est executus. Cujus a Dione Cassio sapientia & bellica virtus commendatur. Quem tamen Caracalla Severi patris successor, beneficiorum per illum acceptorum immemor, privatum in patriam remisit. Quis autem e duobus hujus Juliani filiis Consulibus, fuerit bis Consul & Præfectus Urbis, de

de quo meminit lapis noſter, incertum eſt. Conſulatum geſſiſſe ſimul perhibentur anno imperii Caracallæ primo. Quando autem ſecundum Conſulatum alter geſſerit, plane non conſtat. Illud tantum ſuſpicari quis poſſet, iniiſſe illum alterum Conſulatum anno Chriſti ducenteſimo vigeſimo quarto, V. C. CMLXXIV. h. e. annos duodecim poſt Conſulatum primum. Suſpicandi ſic ea ratio, quod eo anno in Faſtis Conſularibus notetur CLAVDIVS IVLIANVS II. CLAVDIVS CRISPINVS. Forte enim Claudius hic Julianus ſecundum Conſul, fuit alter ex fratribus Juliis Aſpris Conſulibus duodennio ante; cum ii & *Julii*, & *Juliani*, quemadmodum & pater eorum, promiſcue nominarentur; ſicuti & in noſtra inſcriptione *Juliæ Julianæ ſororis Aſpri* deprenditur. Tantoque magis ſuſpicio augeri poteſt, quanto, iſte *Claudius Julianus*, qui anno Chriſti CCXXIV. notatur in Faſtis *ſecundum Conſul*, in anteriori Conſulum ſerie nuſquam hoc nomine Conſul notatus reperitur. Ita ut veriſimillime Conſulatus primus *Claudii Juliani* referri debeat ad alterum ex fratribus *Juliis Aſpris Conſulibus*, qui etiam *Juliani* dicti ſunt; quamvis communiter prænomina *Caii*, & *Cnei* præſeferant. Facile autem fuerit *Cajum Julium*, ſive *Julianum Aſprum* ab Excriptoribus & Librariis fuiſſe commutatum in *Claudium Julianum*, qui notatur in Faſtis *Conſul II.* De his Dio Caſſius, Hiſtoriarum libris ſeptuageſimo octavo & nono; & Cardinalis Noriſius in epiſtola Conſulari.

De-

Denique Anno Salutis MDCCXLI. in prædiis villæ olim Sacchettæ, nunc Rufinellæ Collegii Romani Societatis Jesu, optimo loco atque amœnissimo in Monte Tusculano constitutæ, quem vulgus & *Scola di Cicerone*, & *il Tuscoletto* vocitare consuevit, magna antiquæ villæ vestigia detecta sunt. nimirum atrium sive impluvium antiquarum ædium peristylio circumdatum, structuræ non inelegantis quidem, verum sanæ, sobriæ, ac modicæ potius, quam magnificæ; quæque vel Romanæ Reipublicæ tempora frugaliora, vel Municipii Tusculani mediocritatem auream referret. Columnæ itaque sive columellæ aliquot refossæ, & bases; pavimenta tessellata retecta, balnearum instrumentum, sive hypocausta. figulinarum quoque testacea sigilla inscripta nonnulla. truncus tandem statuæ marmoreæ minime rudis, mulierem repræsentantis: aliaque eruditæ Antiquitatis fragmenta permulta; quæ villam ibidem fuisse certo certius nos docuerunt. Cujusnam vero domini eadem fuerit, stabilire, hoc opus, hic labor. Num Ciceronis, ut vulgus alte persuasum habet? Num Tusculanæ alicujus antiquæ Familiæ, ut Municipalis structura suadere possit, & vicinæ urbi Tusculo propinquitas? ita ut suburbana, ac vix non summœniana villa illi fuerit, incertum est. Si tamen Ciceronis villæ alicujus montanæ locus hic fuit; gratulandum loco quodammodo foret, in literarum cultorum possessionem eumdem tot post sæcula rediisse. quemadmo-

modum duobus elapſis ſæculis villæ Mecœnatianæ Tiburtinæ contigiſſe ſcimus, ut inter ſua veſtigia P.P. eoſdem Soc. Jeſu, Tiburtes ad docendum literas adeuntes, primo exceperit. Quemadmodum Martialis Silio Italico gratulatus eſt oratori * & poetæ, quod Virgilii & Ciceronis ſimul quondam prædia ipſe meritiſſime poſſideret, utriuſque imitator eximius. Ceterum Tuſculanæ hujus antiquæ villæ monumenta nuperrime detecta, omnia diligenter recenſuit P. Contuccius Contuccius Soc. Jeſu vir eruditiſſimus, & in Romana Pontificia Capitolina Antiquitatum atque Hiſtoriæ Academia Collega meus cariſſimus, idemque Muſei Kircheriani in Romano Collegio Soc. Jeſu non Cuſtos tantum ac Præſes ſolertiſſimus, verum & Ampliator & Illuſtrator egregius. Quare de Tuſculanis monumentis loquendi finem fecerimus.

* Epp. 49. & 50. lib. 11.

FINIS LIBRI DECIMIQVARTI.

VE-



VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER DECIMUSQUINTUS

DE ALGIDENSIBUS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Regione, Sede, & Nomine Algidi Montis, & Oppidi.



USCULANIS ſuperiore Libro utcumque illuſtratis, ad confines Algidenſes veſtigandos tranſimus. Fuit itaque ultra Tuſculum, agroſque Tuſculanos, in ipſo Latinæ Viæ limite *Algidum* Oppidum, juxta Montem, eodem vocabulo, *Algidum* appellatum. Hunc locum, quamquam diu belli ſedem Æqui ſibi delegiſſent, *Latini* tamen *Nominis*

 fuiſ-

fuisse, constat. De illo quæcumque memoratu digna veteres apud Scriptores invenimus, huc, non sine dicendorum ordine, congeremus. Ac primo quidem, Algidi, apud Livium, primis Romanæ Reipublicæ sæculis frequentissima mentio est. Quod, ut ajebam, Æqui eam sedem diuturni adversus Romanos belli nacti fuissent. Itaque sub Libri Tertii initium in T. Quintii Capitolini Consulatu tertio, secundo autem Q. Fabii Vibulani, V.C. CCLXXXIX. *Exercitus*, inquit, (ab Æquis) *in Algidum adversus Romanos missus*. Et ad ejus historiæ finem: *Forte ab Algido Quintius Consul redierat Romam*. Et libro eodem, *Vibulano tertium & Maluginensi Consulibus V. C.* CCXCV. *Æqui, robore juventutis præmisso, arcem Tusculanam, improviso, nocte capiunt: relicto exercitu haud procul mœnibus Tusculi considunt*. Exiguo post: *Fames, postremo, inde detraxit hostem. quo postquam ventum ad extremum est; inermes undique omnes sub jugum ab Tusculanis missi. Hos ignominiosa fuga domum se recipientes Romanus Consul in Algido consecutus, ad unum*
1. *Lib.* 10. *omnes occidit*. Qua de re Dionysius 1. pariter (Græca consulto omittimus) *Fabius*, inquit, *reddito Tusculanis oppido, sub vesperam, quanta celeritate potuit, in hostem inde movit; audito circa Algidum oppidum esse totum Volscorum, Æquanorumque, exercitum; & continuato per totam noctem itinere, sub lucem se ostendit hostibus, in campo stativa habentibus sine fossa ac vallo: ut qui in suo solo nihil sibi ab hostibus metuerent*. Livius autem eodem tertio Libro: *Æqui, Graccho duce, in*

La-

Lavicanum agrum, inde in Tusculanum hostili populatione veniunt: plenique prædæ in Algido castra locant. Mox: *Senatus jussit, alterum Consulem contra Gracchum in Algidum exercitum ducere.* Paullo post: *Horatius in Algido pugnat. fugat hostem ex Algido.* Mox: *Trepidi nuncii ab Tusculo veniunt, Æquos in agro Tusculano esse. Ambo Consules cum exercitu missi hostem in sua sede in Algido inveniunt.* Postea: *Æqui castra in Algido locant. depopulatumque inde excursionibus Tusculanum agrum, Legati ab Tusculo præsidium orantes nunciant.* Deinde: *Fusi & ab Sabinis ad Eretum, & in Algido ab Æquis exercitus erant. Majus flagitium in Algido: major etiam clades accepta. castra quoque amissa erant. exutusque omnibus utensilibus miles Tusculum se contulerat.* Quod idem Dionysius sic: *Æquani, facta in Tusculanorum agros sibi finitimos incursione, quum magnam illorum partem populati essent; ad Algidum oppidum castra locant.* Livius iterum postea: *Pater Virginis L. Virginius honestum ordinem in Algido ducebat.* Atque ita constanter Livius exinde, etiam nude, semper *in Algidum*, & *in Algido* frequentissime repetit; haud montem, oppidum, agrum, aliudve peculiare significans. Quod & Plinius est imitatus de rapis 2. loquens: *Palma in Nursino agro nascentibus. proxima in Algido natis.* Et Diodorus de eodem Virginio locutus: *Ipse*, inquit, *confestim sese ex Urbe proripiens ad exercitum in castris tunc in Algido versantem, se contulit.* Et ipse etiam Dionysius non semel: ait enim 3. *Qui vero in Æquanorum regione in Algido po-*

2. Lib. 18. c. 13.

3. Lib. 11.

ſuerant caſtra, magna ex parte vulnerati, ferme omnes, amiſſis armis, Tuſculum evaſerunt, tentoria, jumenta, pecunias, famulitia, & reliquum belli adparatum hoſtis diripuit. Et aliquanto poſt, in Virginii hiſtoria: *Quæ in Æquanorum agro in Algido poſita, & quæ in Vrbe erat, multitudo omnis.* mox de eodem exercitu: *circa luminum accenſionem, in caſtra ad Algidum pervenit.* Denique: *quinque Legiones, quæ erant in Algido.* Ex quibus habes, non oppidum tantum aut montem *Algidum* fuiſſe appellata; ſed & certum agri modum ac ſpatium, montem pariter atque oppidum complexum, agros inter Albanum, Tuſculanum, Veliternum, Præneſtinum, Gabinum & Labicanum; medium ſcilicet inter loca, nunc *Rocca di Papa, Monte Cavo, la Fajola, Paleſtrina, Zagarolo, la Colonna, Rocca Priora, il Tuſcolo.* Attamen poſterioris ævi Scriptores *Montem Algidum* diſerte nominaverunt. Divus Hieronymus 4.: *Quum in Algido Monte Romani milites obſiderentur, a Dictatore Quintio Cincinnato liberati ſunt.* Auctor de Viris illuſtribus in L. Quintio Cincinnato: *Q. Minucium Conſulem in Algido Monte cum exercitu obſidebant.* & in L. Virginio: *Appius Claudius Virginiam Virginii Centurionis filiam in Algido Monte militantis adamavit.* Eutropius libro primo: *Sequenti anno,* inquit, *quum in Algido Monte, ab Vrbe duodecimo ferme milliario, Romanus obſideretur exercitus, L. Quintius Cincinnatus Dictator eſt factus.* & aliquanto poſt. *Appius Claudius Virginii cujuſdam, qui honeſtis jam ſtipendiis contra Lati-*

4. *In Chronic. Euſeb.*

tinos in Monte Algido militabat, filiam virginem corrumpere voluit. Quare apud Dionysium quoque libro decimo, num legi debeat περὶ τὸ Ἄλγιδον ὄρος, *circa Algidum Montem*, & Libro undecimo ἐν Ἀλγίδῳ ὄρει *in Algido Monte*, dubium haud ſane leve creari poteſt. Dubitandum pariter circa variationem illam Græcæ dictionis, eumdem apud auctorem; περὶ Ἀλγιδόνα, & ἐν Ἀλγιδόνι. *circum Algidona*, ſive *Algidonem*, & in *Algidoni*. niſi forte dixeris cum Cluverio, unde hæc de Algido teſtimonia hactenus collecta depromſimus, Montem ipſum Algidum Græcis dictum fuiſſe τὸ Ἄλγιδον ὄρος. oppidum vero ad eum ſitum ὁ Ἀλγιδῶν πόλις. ut apud deterioris quoque ſæculi ſcriptorem Procopium legimus, in hæc verba: 5. *Totila majorem exercitus partem ab Urbe haud longius ſtadia* CXX. *in Algidone, quod loco nomen, ad occidentem ſolem locavit. quietoſque inibi manere juſſit*. ἐν χωρίῳ Ἀλγιδόνι *in regiuncula Algidoni*. Porro Procopii ſtadia centum viginti, poſterioris ævi more, ſeptem cum dimidio in ſingula milliaria computantis, mille paſſus ſexdecim conficiunt ab Urbe Roma, Via Latina. Quod ſane intervallum multo magis in Algidi Montis Oppidique veram diſtantiam congruit; quam Eutropii milliaria duodecim, quæ in Tuſculanum montem inciderent, eadem Latina Via iter habentibus. Unde mendum in Eutropii codicem irrepſiſſe cum Cluverio, jure ſuſpicamur. Ubi tamen, tantam poſt veſtigationem, potiſſimum ſitum fuerit Algidum Oppidum jamdiu di-

5. Rer. Gothicar. l. 3.

dirutum, quisve proprie Mons olim, sive *Algidum*, sive *Algidus* appellatus, non simplex est quæstio, aut una sententia. Pugnant enim de hoc inter sese viri, ceteroquin eruditissimi, & antiquitatis sagacissimi vestigatores: atque in primis Philippus Cluverius, Athanasius Kircherius, Lucas Holstenius, Raphael Fabrettus, communisque populorum ac vulgaris accolarum circa locum Algidi traditio & fama. Nos, quod verisimillimum videbitur, id amplectemur. Ac primo quidem male prorsus, quicumque tandem id opinati fuerint, aut memoraverint, quidam Algidum Oppidum ibi sedisse olim putaverunt, ubi recens nunc oppidum *Rocca di Papa*: & Montem, nunc *Monte Cavo*, in cujus medio dorso, sive ascensu, id oppidulum situm videmus, Algidum Montem nominaverunt. Meridiana enim luce clarius jam constat, eum montem, Albanum Montem esse, sedem olim urbis Albæ Longæ, ac in summo jugo, templi Jovis Latialis, ubi olim Latinæ Feriæ celeberrimæ fieri solebant. Oppidum vero *Rocca di Papa* in eo monte situm, excitatum, credimus, e ruinis oppidi veteris, quod *Forum*, vel *Fabium*, (unde *Forenses* & *Fabienses* populi in Albano monte Plinio & Ovidio memorati) nominatum fuerit. Vel certe de ruinis veterum ædificiorum, templi puta, Jovis Latialis, aut Vestæ, ceterorumque, quæ diruta Alba, in eo monte superfuerant, extructum, ad colonorum, qui agros circa curarent, receptaculum. Algidum ta-

tamen fuit nullo modo. cum disertissime ab Scriptoribus omnibus Mons Albanus, & Mons Algidus fuerint semper discriminati. Rursum id constat ex eo, quod Algidum Oppidum non quidem in monte, verum in planicie, humili loco, ipsoque Latinæ Viæ tramite situm, de Strabone cognovimus, ajente 6.. *Incipit Via Latina ab Appia ad sinistram; ab hac prope Romam deflectens, ac super montem Tusculanum transiens, inter Tusculum oppidum, & montem Albanum ad Algidum descendit oppidulum, & Pictas tabernas*. en ut disertissime Strabo ultra montem Albanum constituit Algidum Oppidum, idemque non in monte, ut nunc oppidum *Rocca di Papa*, sed in depressa planicie, ita uti descensu Latinæ Viæ ad id contendentis opus foret, sedisse significavit. Sed neque alteri oppido, in sinistro viæ ipsius latere constituto, cui modo nomen *Rocca Priora*, veteris Algidi Oppidi sedem rectius aptaveris. Nam & hoc, in monte collocatum videmus, atque ab limite Latinæ procul separatum. Quamquam in regione id olim Algidensi situm, conjici potest, ex eo, quod nivibus etiam per hæc tempora diutissime conservandis ad æstivas Urbis Dominæ delicias, aptissimum est. Alti enim circa locum putei quamplurimi defossi sunt, collectarum nivium, quarum ibidem numquam non uberrima copia, fidissimum, ac solis æstusque ab insidiis remotissimum, receptaculum. De Algidi autem regione perspicuum idem est, nivibus illam, glaciebus, ac frigoribus per-

6. *Lib.* 5.

perpetuo abundasse. unde & nomen desumserat. Algidum enim ab *Algore* dictum est, & *nivale*, *glaciale*, *gelidum*, *horrens* a Scriptoribus, eadem de caussa cognominatum. Itaque verisimillimum puto, quod Cluverius, & post illum Holstenius atque Fabrettus meminere, Algidum Oppidum in ipso Latinæ Viæ limite, ad sinistrum Roma venientibus latus eo loco situm fuisse, ubi nunc tantum publicum superest Diversoriolum, nomine ab antiquo parum inflexo *L'Osteria dell' Aglio*, seu *degli Algeri*, cui proximus cavus Algidi sinus inter montes, *La Cava dell' Aglio*, sive *degli Algeri* appellatus.. Hic enim locus est ad Romanum invadendum agrum opportunissimus; juxta quem veteris oppiduli, quod Algidum fuisse putamus, vestigia monstrantur. In cujus ruinis Castellum postea fuerat constructum, quod earumdem angustiarum claustra cohiberet. Sunt namque hic montium perangustæ fauces, quæ Prænestinum ab Albano & Tusculano agris dividunt. Quod tamen Castellum in ruinis veteris Algidi excitatum, cum latronibus & grassatoribus tutum nimium præberet asylum, a Xysto Quinto Pontifice vere Maximo dirutum fuisse, perhibetur. Ad hunc autem locum tale iter est antiqua Latina Via: Tusculo, scilicet, ad radices, proximum est diversorium vulgo *L'Osteria del Fico*. Inde quatuor sunt mille passus ad diversorium diruti oppidi *L'Osteria della Molara*. Ex hoc milliaria plusquam tria ad Algidi diversorium *L'Osteria dell' Aglio* aut *degli Al-*

Algeri. cui proxime deinde imminet arctus montium transitus, vulgo *la Cava dell'Aglio* ita dictus. Circa hunc Silva Algidensis, nunc quoque *la Selva dell'Aglio*, aut *delli Algeri* nominatur, ita ut ab tanta vocabulorum recentium cum antiquo *Algido* proximitate, certum jam hanc Algidi sedem fuisse, reddi possit. Porro Mons Algidus, quibusdam ille est, ubi recens oppidum *Rocca Priora*, ubi Divo Silvestro dicata Ædes, cui Carmelitarum sub Divæ Teresiæ Virginis instituto viventium Collegium adjunctum est, vulgo *S. Silvestro sopra Frascati*. Holstenius autem in suis ad Cluverium notis Algidum Montem, seu potius Montes Algidenses, nam plures sunt 7., sic descripsit: *Distincti sunt omnino montes Tusculanus, Albanus & Algidus; ut Locorum illorum peritus quisque facile ipso sensu dijudicat. Nam ubi Roma, Via Latina, proficisceris ad Algidum, Tusculanos montes ad sinistram habes, Albanum montem a dextris: inde obverso tractu Algidus occurrit, quem vallis flumenque cum molendino a Tusculanis collibus distinguit, sub ipso diversorio Algidi. Ab Albano autem monte alia vallis, quæ ab eodem diversorio Meridiem versus protenditur. Inde frondosus ille Mons Algidus, ubi angustias ejus, quam* Cavam *vocant, transieris, ad dextrum Latinæ Viæ latus porrigitur, usque ad vallem, quæ inter Algidum, & Montem Fortinum, Velitras usque, & in Appiam, se aperit. Nec puto rectius, Plinii verba de Tusculani collis silva ad Algidum trahi: cum etiam nunc opacæ & densissimæ sint silvæ in eo Tusculani montis latere,*

7. *In pag. 176. lin. 9.*

re; quod Septemtrionibus obversum, agrum Romanum, Gabinum, & Lavicanum respicit. Hæc igitur Algidi Regio; hæc Algidi Oppidi sedes, hic Algidus Mons. Oppidi, ac Regiunculæ incolæ *Algidenses* dicti atque *Algidini* fuerunt. & apud Manutium *Algidiensis* quoque in vetusto lapide inscriptum legitur. apud Stephanum etiam *Algidius*. ait enim: Ἄλγιδος πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀλγίδιος *Algidus oppidum Italiæ. Gentilitium: Algidius*. Denique etiam *Algidus* fuit Gentilitium, ut apud Ovidium 8.:

8. Fast. L. 6.

Viderat in Campis, Algida terra, tuis.

Putat Mattejus in Monumentis veteris Tusculi, Aquam, quæ *Julia* primum, mox (a vulgo nunc *Angelosa* dicitur) *Algidosam* fuisse appellatam. Hanc P. Victor *Algentianam* dixit. De qua mox plura, ubi de Agro Algidensi, referemus.

CAPUT II.

De Bellis & Præliis ad Algidum decertatis.



QUAMQUAM Algidum nonnisi oppidulum fuerit, regioque circa ipsum arctis admodum finibus circumscripta; ob loci tamen opportunitatem, quo situm erat, annis centum & sexaginta Æquorum adversus Romanos belli sedes idem fuit. Siquidem ab Consulatu L. Æbutii & P. Servilii, qui V. C. CCLXXXIX. recensentur, ad P. Sempronium Sophum, & P. Sulpicium Saverrionem Consu-

ſules anno CCCCXLIX. novis ſemper excurſionibus, invaſionibus, apparatibus, bellum Æqui ad Algidum contra Romanos inſtauraverunt. Unde factum, ut hi ad Algidum exercitum fere ſemper, ſub pellibus, & in armis adverſus perpetuos hoſtes haberent. Opportunitas vero belli, Caſtrorumque metandorum in Algido ea erat, quam loci natura ipſa effecerat, montium ſcilicet anguſtiæ ac fauces, quæ Latinorum regionis præcipuam partem ac potiſſimam ab Æquis, Volſcis atque Hernicis diſterminabant. Rurſum, juxta has fauces vaſtiſſima ac fertiliſſima Camporum planicies, frugum, rerumque aliarum omnium, quibus eget humanum genus ad vitam ſuſtentandam, parens & altrix uberrima. Quare qui Algidi oppidi potirentur, ii & fortiſſimum omnis circa regionis propugnaculum habebant, quo nec magno militum numero, hoſtium quorumcumque tranſitus, nedum aſſultus, impedire & frangere omnino poterant. Æqui igitur, gens Latinis veteribus proxima, quos & *Æquanos*, & *Æquicolas* dixere, ab *æquitatis amore*, quam, antiquiſſimis ab uſque Gentis exordiis, plurimum apud ipſos valuiſſe, narrant, Algidum oppidum, quamquam Priſcorum Latinorum eſſet; & in ipſo ferme Latii veteris meditullio collocatum, occupavere tamen; centumque fere ac ſexaginta annis ita tenuere, quaſi Æquorum & ipſum oppidum ſemper fuiſſet. Hinc veteres Scriptores nonnulli de Algido tamquam de Æquorum oppido locuti ſunt.

Quos inter Dionysius non semel Algidum *Æquorum solum* nominavit. Cum tamen id, nonnisi de occupatione oppidi ab Æquis facta, vere intelligendum sit. Ceterum in Algido tot tantaque prælia sunt decertata, ut Romanæ Reipublicæ id oppidulum aliquando terrorem incuteret. Sic enim Florus eleganter 1.: *Hactenus pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis assidue & sine intermissione pugnatum est. Sora (quis credat?) & ALGIDUM terrori fuerunt. Satricum atque Corniculum Provinciæ. De Veiis, & Bovillis, pudet, sed triumphavimus. Tibur, nunc suburbanum, & æstivæ Præneste deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis, petebantur.* cetera. Ubi Florum, animadvertere licet, bella ad Algidum habita cum Latinis dicere, non cum Æquis; inde scilicet, quod hi vicini Latinis, aliquando iis juncti fœdere, nonnumquam etiam iisdem, per mutua conjugia immixti, unus ferme atque idem populus censerentur. Neque tamen hic singula ad Algidum decertata prælia narrabimus, cum id Livius, & ex parte Dionysius quoque abunde præstiterint. Quædam tamen insigniora breviter, iisdem ex probatissimis auctoribus, ad Algidi celebritatem ostendendam, commemorabimus. Atque illud in primis sese offert, quod V. C. CCXCIV. Lucio Minucio 2., & Cajo, sive Lucio, Nautio Consulibus, gestum est. Quamquam enim superiore anno, Æquis petentibus pax fuisset ab Romanis data; fœdifragi nihilominus illi; rupto fœdere, quod priore anno ictum

1. Cap. 11. l. 1.

2. Liv. l. 3.

ictum fuerat, imperium ad Gracchum Cluilium deferunt, Gentis universæ longe principem. Hoc duce, in Lanuvinum sive Lavicanum, inde in Tusculanum agros hostili populatione veniunt. mox præda pleni in Algido castra locant. Ibique tanta fiducia confidunt, ut non modo Romanos hostes non vererentur, verum etiam contemnerent. Cum enim ad ea castra in Algidum legati ab Roma venissent Q. Fabius, P. Volumnius & A. Posthumius, questum injurias, & ex eo fœdere res repetitum: eos Æquorum Imperator Gracchus, quæ mandata ab Senatu ad eum deferebant, insolentia quadam, & prosperarum rerum fortuna elatus, ac veluti ebrius, ad quercum jubet edicere, vel ad fagum, prout alii aliter meminere. Fregit tamen L. Quintii Cincinnati Dictatoris ab aratro virtus breviter hostilem audaciam. Cum enim Minucius Consul improvide in hostium insidias incidisset, & Algidi faucibus & Algido oppido ab Æquis occupato hinc, inde vero hostili exercitu clauderetur; Quintii demum auxilio & copiis liberatus est; victus hostilis exercitus, dux Gracchus Romanis traditus; ceteri sub jugum missi. Quæ cursim ita commemoramus, quod eadem nuper in Tusculanis fusius narraverimus. Ad Tusculanos namque hoc bellum, & ad Algidenses pertinet. Siquidem Tusculanorum caussa & auxilio id maxime gestum est. in Algido autem, & ad Algidum idem fuit decertatum. Ceterum de illo sic eleganter & presse Florus 3.: *Pervica-* 3. Lib. 1. c. 11.

cacissimi tamen Latinorum Æqui & Volsci fuere, & quotidiani, ut sic dixerim, hostes. Sed hos præcipue L. Quinctius domuit, ille Dictator ab aratro. qui obsessa ac pene jam capta L. Minucii Consulis castra, egregia virtute servavit. Medium erat forte tempus sementis, quum patricium virum innixum aratro suo Lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid ab rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub jugum misit. Sic expeditione finita, rediit ad boves rursus triumphalis agricola. Fides numinum! qua velocitate! Intra sextum decimum diem cœptum peractumque prorsus est bellum; ut festinasse Dictator ad relictum opus videretur. Neque tamen eo prælio Algidum oppidum ab Romanis captum fuit, neque exercitus Æquorum in Algidi regione sedens a Quinctio Dictatore deletus. Siquidem Minucio Consuli, qui Magistratu sese abdicaverat, extremo anno Fabius successor datus in Algidum missus est; & Minucius ipse Legati munere ad ipsum Romanum exercitum in Algido contra Æquos perseverantem permanere jussus.

4. Liv. lib. 3. Anno autem insequenti 4., Consulibus Q. Minucio, & M. Horatio Pulvillo, Æqui ex Algido in proximum oppidum Corbionem nocturno impetu facto, Romanorum cecidere præsidium, oppidique potiti sunt. quod ubi Romam ad Senatum perlatum esset; jubentur Consules subitarium scribere exercitum, & confestim in Algidum ducere. Minucio, itaque, in Sabinos, qui & ipsi defecerant, abeunte; Horatius adversus Æquos in Algidum ve-

venit. cumque jam Æqui, Corbionis interfecto præsidio, Hortanam etiam cepissent; in Algido pugnat. multos mortales, ait Livius, occidit; fugat hostem non ex Algido modo. sed a Corbione Hortanaque. Corbionem etiam diruit, propter proditum præsidium. Neque sic tamen fracti Æqui, vertente anno, T. Romulio & C. Veturio Consulibus, socios Populi Romani populationibus invasere. Contra illos ambo Consules cum exercitu missi hostem in sua sede in Algido inveniunt. Ibi pugnatum. supra septem millia hostium cæsa: alii fugati: præda parta ingens. Præter annua vero bella, & frequentissima prælia in Algido, & ad Algidum decertata; insignis etiam seditio Romani exercitus, ibidem fere in stativis manentis, fuit; Decemviris Rempublicam violenter nimis administrantibus. Cum enim de horum numero M. Cornelius cum L. Minucio & T. Antonio, & Cæsone Duellio & M. Sergio, in Algidum venissent; ingenti clade ibidem ab Æquis fusi, cæsique, partim, & reliqui fugati sunt. Dumque, instaurato exercitu, Romanus in Algido sederet, Æquorum motus observaturus; accidit Romæ, ut Appius Decemvirorum præcipuus Virginiæ puellæ, Virginii ordinum in Algido ductoris filiæ, amore exardesceret. cui quo impune faceret satis, lenonem, qui servam illam suam, & ex serva natam esse domi suæ, calumniaretur, subornavit. cumque ille ad Appium virginem tanquam suum mancipium dono duceret; ab

con-

consanguineis Virginius in Algido residens certior factus de imminente filiæ amittendi simul pudoris & libertatis periculo; statim, vix missione petita, Romam advolavit; cumque evadendi aditus ceteros puellæ præclusos cerneret; in partem, per simulationem, abductam, lanii gladio, infelix pater ipse confodit: pudicam mallens & liberam ad inferos mittere, quam violatam ac mancipatam videre superstitem. Quo, nescias an fortiter magis, an crudeliter, facto, stillante adhuc gladio, quacumque incederet, submota turba, ad portam perrexit: mox in Algidum continuo ad suos in castra. Hæc tunc in Monte Vecilio prope Algidum metata fuisse, Livius memoravit. Unde, nomen id unius ex propinquis Algido montibus fuisse, cognoscimus [5]. *Hic Virginius majorem, quam in Urbe reliquerat, motum excivit. Nam præterquamquod, agmine prope quadringentorum hominum veniens, qui ab Urbe, indignitate rei accensi, comites ei se dederant, conspectus est: strictum etiam telum, respersusque ipse cruore, tota in se castra convertit. Et togæ multifariam in castris visæ* (Livii verba) *majoris aliquanto quam erat, speciem Urbanæ multitudinis fecerant. Quærentibus quid rei esset, flens diu vocem non misit. tandem ut jam ex trepidatione concurrentium turba constitit, ac silentium fuit: ordine cuncta, ut gesta erant, exposuit. Supinas deinde tendens manus, commilitones appellans orabat, ne, quod scelus Appii Claudii esset, sibi attribuerent: neu se, ut parricidam liberûm, aversarentur. Sibi vitam filiæ suæ cha-*

5. Liv. l. 3.

chariorem fuisse, si libere ac pudice vivere licitum fuisset. Cum velut servam ad stuprum rapi videret; morte amitti melius ratum, quam contumelia liberos, misericordia se in speciem crudelitatis lapsum. Nec se superstitem filiæ futurum fuisse, nisi spem ulciscendæ mortis ejus in auxilio commilitonum habuisset. illis quoque enim filias, sorores, conjugesque esse. nec cum filia sua libidinem Appii Claudii extinctam esse: sed quo impunitior sit, eo effrænatiorem fore. aliena calamitate documentum datum illis cavendæ similis injuriæ. quod ad se attineat, uxorem sibi fato ereptam; filiam, quia non ultra pudica victura fuerit, miseram, sed honestam mortem occubuisse. non esse jam Appii libidini locum in domo sua. ab alia violentia ejus eodem se animo suum corpus vindicaturum, quo vindicaverit filiæ. Ceteri sibi ac liberis suis consulerent. Hæc Virginio vociferanti succlamabat multitudo; nec illius dolori, nec suæ libertati se defuturos. Et immisti turbæ militum togati cum eadem illa querendo, docendoque, quanto visa quam audita indigniora potuerint videri: simul profligatam jam rem nuntiando Romæ esse, insecutosque, qui Appium prope interemptum in exilium abiisse dicerent: perpulerunt, ut ad arma conclamaretur: vellerentque signa, & Romam proficiscerentur. Hactenus Livius. Exitus autem seditionis hujus in Algido factæ abolitio Decemvirorum Magistratus fuit. Ceterum Dionysius, in Romano exercitu ad Algidum tunc sedente, quinque Legiones numeratas fuisse, memoriæ prodit. Unde regionis Algidensis ad exercituum sedem opportunitas magis elucet,

in qua non ſolum Æqui cum exercitu, verum etiam contra illos Romani cum tantis copiis, ſtabiliter veluti, manerent.

Quamquam autem cum Æquis potiſſimum in Algido fuerit decertatum; non ſemel nihilominus etiam cum Volſcis, cum Hernicis, ipſiſque Latinis a Romanis prælιatum ibidem eſt. cum maxime hi populi ſæpe conjunctis viribus ad Romanos invadendos ferrentur. De Volſcis atque Æquis in Algido victis fugatiſque, alios præter, Poſthumus Tubertus potiſſimum triumphaſſe Ovidio ſic memoratur. 6.

6. *Faſt. l. 6.*

At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis,
Et cinget geminos ſtella ſerena polos;
Tollet humo validos proles Hyriea lacertos;
Continua Delphin nocte videndus erit.
Scilicet hic olim Volſcos Æquoſque fugatos
Viderat in Campis, ALGIDA TERRA, *tuis.*
Unde ſuburbano clarus, Tuberte, triumpho
Vectus es in niveis, Poſthume, victor equis.

Quod Urbis Conditæ trecenteſimo vigeſimo tertio factum, ex Livio docemur.

CA-

CAPUT III.

De Agro Algidensi, & Via Latina in eo.



SEDE Veteris Algidi, Regionis scilicet, Montis, atque Oppidi, utcumque vestigata, & stabilita; ad ejus nunc Agrum lustrandum pergimus. Ac primum omnium nobis sese offert Aqua *Algidensis*, sive *Algidosa*, aut *Algentiana*, prout alii eam aliter nominavere. Hæc ad radices Algidi Montis scatet, atque artificiosa collectione lacum seu potius stagnum efficit, juxta Viam Latinam, sinistro latere, ad fauces, sive claustra Montis Algidi, loco, ubi olim Algidum oppidum, nunc *la Cava dell' Aglio* &c. diciturque Holstenio *il lago della Cava*. quamquam palus potius, aut lacuna in molarum usum, melius sit appellanda. Hanc non ignorasse Prisci Romani dignoscuntur. Siquidem Publius Victor, inter aquas in Urbem perductas, tertiodecimo loco & *Algentianam* enumeravit. Quam procul dubio Algidensem, ab Algidi nempe regione derivatam fuisse existimamus. Hanc ipsam Fabrettus, quamquam dispersam, apparere tamen dixit, Tusculanis sub montibus, rectissimo ab Algido perductam tramite; & post subterraneum rivum rursus emergere, nono ab Urbe milliario; & denuo per aliam vallem, sub Turri, cui nomen *di Mezza Via di Frascati*, plures arcus transmittere,

Romamque indubie petere; licet intra Urbem, nullum ejus extet vestigium. Prius tamen ad Tusculanas villas fuit derivata. & ad Pamphiliam maxime Petrus Aldobrandinus Cardinalis, Clementis Octavi Pontificis Maximi fratris filius perduci hanc aquam magnis sumtibus curavit. quod & grandioribus literis testatum posteris voluit, in fascia ejusdem villæ nobilissimorum fontium insertis. in quibus, inter cetera, Aqua *ab Algido deducta*, perforato Tusculano Monte, memoratur. Eadem cum aliis Tusculanæ Novæ urbi inservit; & aliarum Tusculanarum villarum lusibus ac deliciis. Præter aquarum copiam e fontibus scatentium, abundavit quoque Algidensis Ager nivibus; quibus etiam nunc illum diximus abundare. Præterea silvis, in quibus annosæ quercus, & ilices, quæ multa glande pecus, dominos autem umbra juvabant. De illis non semel Horatius elegantissime.

1. Od. 21. l. 1. Nam & carmine ad Apollinem & Dianam: 1.

Vos lætam fluviis & nemorum coma,
Quæcumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi

2. Od. 23. l. 3. Et ad Phidilem rusticam 2.

Nam quæ nivali pascitur Algido,
Devota, quercus inter & ilices,
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima, Pontificum secures
Cervice tinget.

Et

Et in Neronum laudibus: 3. 3. Od. 4. l. 4.

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Ex quibus Algidensium silvarum densitatem, vetustatem, magnitudinem, & celebritatem satis colligimus. Densitatem vero maxime innuere visus est etiam Statius, dum *horrentem* Algidensem regionem appellavit; aptissimamque, ad Romanos, in ea rusticantes, ab æstivi solis ardentibus radiis protegendos. enumerans namque suburbana loca, ad quæ Romani tunc temporis per æstatem divertebant, ait ad Marcellum: 4. 4. Silv. l. 4. carm. 4.

Jam terras, volucremque polum fuga veris aquosi
Laxat, & Icariis cælum latratibus urit.
Ardua jam densæ rarescunt mœnia Romæ.
Hos Præneste sacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra;
Tiburis hi lucos Anienaque frigora captant.

Quamvis autem Statio Algidensis Ager dicatur *horrens*, scilicet præ umbrarum e silvis densitate, præque frigore; Silio tamen Italico regio eadem amœna dicitur; quæque bis Annibalem ad stativa aliquantisper ibi figenda potuerit allicere. Nam de illo sic cecinit. 5. 5. Lib. 12.

Jamque adeo est campos ingressus, & arva Labici,
Linquens Telegoni pulsatos ariete muros,
Haud dignam inter tanta moram: nec AMÆNA *retentant*

AL-

ALGIDA; *nec juxta Junonis tecta Gabinæ.*

Quamquam enim his verſibus Silius contrarium potius videatur innuere, ſcilicet Annibalem iter per Algidum rurſum facere refugiſſe; non hæc tamen eſt poetæ ſententia. verum iſta, Annibalem nempe præcipiti curſu Romam properantem, neque in expugnanda Tuſculana urbe, quæ illi portas clauſerat, neque in curandis militum corporibus in amœno agro Algidenſi morari voluiſſe; quemadmodum amœnitate regionis allectus alio itinere præſtiterat. Id enim ſibi volunt ea verba, *nec amæna retentant Algida*; ſcilicet *non iterum tentant, alliciunt, ad ſubſiſtendum ibi, ut priùs fecerat.* Quæ ſententia, ſubſecutis Silii verſibus multo magis etiam liquet. Siquidem pergit Poeta:

Præceps ad ripas immani turbine fertur,
Sulfureis gelidus qua ſerpit leniter undis
Ad genitorem Anio labens ſine murmure Tibrim.

6. lib. 26. Ceterum Livius manifeſte, Annibalem in Algidum cum exercitu veniſſe, dixit [6]: *Annibal, infeſtius perpopulato agro Fregellano, propter interciſos pontes, per Fruſinatem, Ferentinatemque, & Anagninum agrum, in Labicanum venit. Inde* ALGIDO *Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tuſculum, dextrorſum, Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo, octo millia paſſuum a Roma poſuit caſtra.* In Algido itaque fuit cum exercitu Annibal, & ex Silii verbis illum bis in ea regione fuiſſe videtur erui; ſemelque loci amœnitate ductum, aliquandiu ſubſtitiſ-

tiſſe. ſcilicet, (inquit, pervetuſta Tuſculanorum Albanorumque, qui circa Algidum incolunt fama), ſcilicet, ut ex edito loco militibus Romam oſtenderet, eoſque tantæ Urbis aſpectu, ad alacrius eam invadendam, atque expugnandam inflammaret. Huic utique famæ pervulgatæ ac pervetuſtæ non obſtrepuerim. verum Kircherio eamdem ulterius famam ſecuto ſubſcribere nullatenus poſſum, ut locus ſtativorum Annibalis in Monte Albano fuiſſe, ubi nunc vulgo *I Campi d'Annibale*, cum ipſo pronunciem. Jam enim ſatis ſuperque Albanum Montem alium omnino ac diverſum ab Algido monte fuiſſe, ſignificavimus. Rurſum autem eum locum Albani Montis non fuiſſe Annibalis ſtativa ſic urgentius ſuadetur. deviaſſet enim Annibal non modico diverticulo, ſi ad Anienis in Tiberim confluentes caſtra poſiturus adproperans, ex Algidenſi, ac Tuſculano agro in Albanum uſque montem adſcendiſſet. Ad quid enim? At, inquiunt, operæ pretium, ut nempe exercitui Romam oſtenderet, quo ex ejus aſpectu militarem in eis virtutem acrius accenderet. Atqui, hoc idem, abſque diverticulo, in ſummo Algidi montis jugo præſtare potuit; ex quo non minus, atque ex Albani montis illa planicie, perſpicua eſt Roma. Quod etiam præſtitiſſe, ajo non leviter, ex eo loco, ubi nunc Sancti Silveſtri ſacra Ædes vulgo *S. Silveſtro ſopra Fraſcati*, in qua Algidenſis agri, quamvis in ſummo jugo, planicie, conſtituendos Annibalis Cam-

Campos, dijudico; non autem in Monte Albano. in quo Latinas Ferias eo loco, qui *Annibalis Campus* dicitur, celebratas, non multum abnuerim. cum & ille amoenissimus, & spatiosissimus locus sit tria circiter milliaria gyro complexus; cavamque quamdam vallem in ipso monte exhibens, unde recens Albani Montis nomen, ajunt, deductum *Monte Cavo*. Cumque veritati omnia consentire necesse sit; ex Algidensi, non vero ex Albano monte descensus in agros Labicanos est, adeoque fuit. quem ab Annibale captum, ex Livio discimus. Interroganti autem, in quo potissimum Algidensis agri amoenitas steterit, quæ Annibalem ad subsistendum potuerit allicere, facile reponemus, in pascuorum potissimum copia pro equitatu, eam fuisse sitam; in planiciei vastitate, edito loco, utpote in jugo Algidi montis constituta, unde liberrimus & pulcherrimus Urbis, regionisque omnis circa prospectus. Nam, quod pascua fuerint in Algido, nuper ex Horatio monebamur iis versibus.

Nam quæ nivali pascitur Algido
7. Od. 23. l. 3. 7. *Devota, quercus inter & ilices,*
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima Pontificum secures
Cervice tinget.

In quibus Poeta dilucide distinxit Algidi pascua inter Algidenses silvas, & pascua Albanarum herbarum. Erant enim hæc vicina quidem, verum ab Via Latina intermedia, atque intersecante, distin-

cta,

cta, & disterminata. Ceterum nunc quoque lætissima utrobique pascua gregibus suis pastores inveniunt. atque hæc loca ipse, repetita perlustrans, pluribus semper balantum gregibus, equarum quoque armentis pascentibus, hinc atque hinc, ad utrumque Latinæ Viæ latus, referta jucunde conspexi. In hisce pratis rapa, & raphanos saporis optimi succrevisse, Plinius meminit. Siquidem de rapis locutus 8.. *Palma*, inquit, *in Nursino nascentibus. Taxatio in libras sestertii singuli, & in penuria bini. Proxima in Algido natis*. Raphanorum vero in hortensibus, naturam scrutatus 9.: *Genera*, inquit, *raphani Græci fecere tria, foliorum differentia, crispi atque lævis, & tertium silvestre. Atque huic lævia quidem, sed breviora, ac rotunda*. Cetera. paullo post. *Nostri alia fecere genera, Algidense a loco, longum atque translucidum. Alterum rapi figura*. cum reliquis, quæ ibidem edisserit.

8. L.18. c. 14.

9. Lib.19.c.5.

Villis denique Romanorum amœnissimis, quibus, æstivo præcipue tempore, utebantur, Ager Algidensis celebris fuit. Quarum meminere Statius atque Martialis. Statius quidem recitatis jam versibus.

Hos Præneste sacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra.

Martialis vero ad Apollinarem Formiani ejus Littoralis delicias describens, sic 10. :

10. Ep. 30. l. 10.

O temperatæ dulce Formiæ littus!
Vos, cum severi fugit oppidum Martis,

Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris, omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tusculanos, Algidosve secessus,
Præneste nec sic, Antiumve miratur.

Cetera. Algidensium tamen villarum vix aliqua ad nos monumenta pervenere. Ex his unum ad Divi Silvestri in Monte Algido, ubi Lucretiæ Gentis villam Ligorius constituit, quod in urnulam ad Sacerdotum abluendas manus concessit, Græca figura, literis, dictione tamen Latina, sic prostat: 11.

11. *Ex Recension. Lupii.*

Δ. M.
ΣΠΙΡΙΤΒ
ΦΛΑΒΙΑΙ. ΛΑΒΙΝΑΙ
Λ. Π. ΦΙΛΙΑΙ ΚΟΜΜΕ-
ΝΔΑΤΟ
ΚΙΝΕΡΕΣ
ΑΡΚΑ ΚΟΝΔΟ
Α. Β. Κ. Φ. Δ.

12. v. Algidiano Memmiano.

Alterum autem ex Ligorio producimus, ajente 12.: Prope Algidum, in monte, qui oppositus est Tusculano, supra Latinam Viam, villam fuisse Familiæ Memmiæ, quæ *Algidiannm Memmianum* dicebatur. quod ex veterum lapidum fragmentis patuit. E quibus pariter, ibidem Vivarium silvestrium ferarum fuisse eruebatur. forte prope locum *Roboraria* dictum. In hujus villæ ruderibus marmorea mensa pulcherrima fuit reperta, in qua profanorum numina quatuordecim eleganter insculpta erant, Jupiter, Juno, Luna, Lucina, Bacchus, Tel-

Tellus, Ceres, Minerva, Venus, Lympha, Bonus-Eventus, Robigo, Sol, & Flora. ſic Ligorius. Lucina tamen & Juno in hoc numero deorum, qui *Conſentes* dicti ſunt, redundare videntur. Sic autem hæc numina repræſentabantur. Juppiter cum fulmine in brachio dextro, innixus haſtæ, cum modio ſupra caput, & pro pedibus aquila. Bacchus incumbens terminali lapidi, ſupra quem Sileni caput. ipſe hedera uviſque coronatus; botros manu geſtans dextera; ſiniſtra vero cantharum; cum lynce pro pedibus. Bonus-Eventus, robuſti juvenis ſpecie repræſentabatur; manuque altera ſpicas & cereale papaver, altera calicem; in capite caniſtrum frugum geſtabat. Flora floreis ſertis coronata, cujus gremium vario herbarum ac florum genere ſparſum, ramis etiam florentibus arborum, & frugum ſpicis: pro pedibus pariter florum caniſtrum ſtabat. ipſa induta erat ſtola, & ſuccinta palla. Lympha ſubtilibus vix tecta velis aquas fundebat ex urna; caput ipſa quoque frondibus ac floribus redimita, anſereſque ad pedes extabant. Sol radiantibus comis cinctus, haſtam dextera, lyram ſiniſtra gerebat. pro pedibus ejus gryphus. Tellus florigero late explicato pallio ornata, interiori vero ſuccincta tunica, hinc aratrum, hinc ſpicas tenens, turrito capite. ad latus ſpicarum manipulus. Robigo, ſive Robigus, ſpecie juvenis elatum fructuum herbarumque caniſtrum capite geſtans, præ manibus falcem atque ligonem, caprina indutus

 pel-

pelle ex humero in pectus defluente. Luna ſpicarum corona circumdata, inter Lunaris ſigni cornua, manu offam, ſive placentam, aut ſubcinericium panem ex adore gerens. Juno cum cratere atque haſta cingulum manu tenens, ſeu maritalem zonam, pro pedibus autem pavonem. Cereris ad latus erat porcus; alteraque manu faces lucentes & ſpicas, altera ſtivam tenebat. Venus denique ceſton incincta variis diſtinctum floribus, quos cœleſtia inſculpta ſigna interſecabant; pro pedibus autem animal lurum nomine ſervans; columellæ innixa, utraque manu marinam concham præſeferens, ſubtiliſſimis velis deorſum tantum intecta. De Lucinæ autem habitu, ac Minervæ figura nihil meminit Pyrrhus. Hæc rotundæ marmoreæ menſæ in Algidiano Memmiano repertæ ſpecies, eleganti admodum cœlatura. Hanc, aut hujus quammaxime ſimilem, aſſervari, in villa nunc quoque ad Gandulphi Caſtrum ſub Albano monte, accepimus. Conſentiuntque Scriptores omnes, deos hoſce illos eſſe, quos *Conſentes* Latini veteres appellabant; ex eo, quod omnes *conſentire* debuiſſent ad perfectam frugum fertilitatem. Quæ, ſi aliquis ex illis in id ſuam operam non collocaſſet, nunquam plena & agricolarum votis reſpondens obveniret. De diis Conſentibus ita Varro 13.: *Quoniam, ut ajunt, dei facientes adjuvant; prius invocabo eos, nec ut Homerus & Ennius, Muſas, ſed duodecim Deos Conſentes. neque tamen eos Vrbanos, quorum imagines ad forum*

13. R.R. l. 1. c. 1.

au-

auratæ ſtant, ſex mares, & fœminæ totidem; ſed illos duodecim deos, qui maxime agricolarum duces ſunt. Primum, qui omnes fructus agriculturæ cælo & terra continent, Jovem & Tellurem. Itaque quod ii parentes magni dicuntur. Juppiter pater appellatur. Tellus terra mater. Secundo Solem & Lunam, quorum tempora obſervantur, cum quædam ſeruntur & conduntur. Tertio Cererem & Liberum, quod horum fructus maxime neceſſarii ad victum. Ab his enim cibus & potus venit e fundo. Quarto Robigum & Floram. quibus propitiis, neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit; neque non tempeſtive florent. Itaque publicæ Robigo feriæ Robigalia, Floræ ludi Floralia inſtituti. Item advenerор Minervam & Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum, quo nomine ruſtica Vinalia inſtituta. Nec non etiam precor Lympham & Bonum-Eventum, quoniam ſine aqua omnis arida ac miſera agricultura; ſine ſucceſſu, ac bono eventu fruſtratio eſt, non cultura. Hactenus de ruſticis diis Conſentibus Varro; quæ, ad Algidenſem noſtram Menſam, eoſdem repræſentantem, illuſtrandam, ſatis ſuperque fuerint.

Ceterum in Algidenſi Agro fuit Via Latina, quæ recta ab Urbe ad Algidum Oppidum tendebat, Strabone teſte; cujus verba toties jam recitavimus. Hanc ab Latina Porta initium duxiſſe nonnulli putant, quæ hodieque Romæ vetuſtiſſimum nomen ſervat. Plures tamen Latinam Portam, quæ nunc eſt, ante Aureliani ampliatos muros apertam minime fuiſſe, exiſtimant, Viamque Latinam Vete-

rem

rem a Capena Porta, ſimul cum Appia Via initium ſumſiſſe, de Strabone erui aſſerunt, ac Feſto. quod idem nos quoque horum initio Librorum de Tuſculanis & Algidenſibus monuimus, in ſerie Antiquorum Nominum cum recentibus collatorum. Cur autem Latina dicta fuerit tum Via tum Porta, non ſimplex opinio auctorum eſt. Alii enim ſic dictam exiſtimarunt, quod in Latinorum oppida, & Latii, ita dixerim, meditullium emitteret: verum ab aliis hæc opinio improbatur, idcirco, quod & Nævia, & Capena & Cœlimontana, & Interaggeres, & Exquilina & Tiburtina Portæ in Latium emittebant, atque ex illis incœptæ Viæ in Latinorum oppida viatores ducebant. Quare hi melius, Latinas Portam & Viam appellatas putant exinde, quod in Albanum Montem ad Templum Latialis Jovis ad Latinas Ferias celebrandas recta tendebant. Cum hæ Feriæ, propter antiquitatem, celebritatem, & religionem populorum, a quibus & inſtitutæ, & frequentatæ erant, *Latinæ* ſæpius abſque addito, per excellentiam nominarentur. Quam vocabuli originem id quoque confirmat, quob Alexander Donatus noſter in egregio veteris ac recentis Romæ Commentario memoravit, 14. ſcilicet, Portam Latinam eamdem & *Ferentinam* fuiſſe appellatam, quod Ferentinum duceret Latina Via. Scimus autem Ferentinum oppidum, præter id quod adhuc extat prope Anagniam in Hernicis, fuiſſe aliud ad radices Albani Montis, quod & *Fe-*

14. Cap. 21. l. 1.

ren-

rentinum , & *Ferentina* , & *Caput Aquæ Ferentinæ* dicebatur ; ibique Latinorum Priſcorum Concilia coacta , Latinarum Feriarum cœtibus prælufura . Fuere Via Latina (ut ejus monumenta curſim hic attingamus) Fortunæ Muliebris templum , a Romanis tunc ædificatum , quando Veturiæ matris , ac Volumniæ uxoris, precibus Marcius Coriolanus placatus , infeſtum Volſcorum exercitum , quem adverſus patriam Romam eo uſque adduxerat , in ſuos , pacifice domum reduxit ; cum tamen nullis neque amicorum , neque Senatus ipſius , qui obviam armato proceſſerat , ut eum deliniret , ſuaſionibus , aut obſecrationibus, a propoſito invadendæ Urbis vel minimum dimoveri ſe, paſſus fuiſſet. Tum Phyllidis Domitiani Cæſaris nutricis Villa , ad quam hæc alumni cineres tumulaſſe fertur, ajente Svetonio 15. : *Cadaver ejus populari ſandapila per Veſpillones exportatum Phyllix nutrix in ſuburbano ſuo , Latina Via , funeravit : ſed reliquias templo Flaviæ Gentis clam intulit, cineribusque Juliæ filiæ Titi , quam & ipſa educaverat , commiſcuit* . Multorum præterea nobiliſſimorum ſepulcra , de quibus Juvenalis . 16.

15. In Domitian.

16. Sat. 1. v. ult.

Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina

Atque alibi Paraſitos carpens . 17.

17. Sat. 5.

Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ .

Quo ex verſu Latinam Viam antiquitus per clivos ductam , ſcilicet tumulos aut colliculos, colligimus . Quibus totus ferme Romanus Ager quaquaverſum abundat . Hæc Monumenta Latinæ Viæ Pru-

Prudentius etiam Christianus poeta, adversus Symmachum nominavit.

Ipsa Patrum monumenta probant. Dis Manibus, illic
Marmora secta lego, quæcumque Latina vetustas
Custodit cineres.

Ex his frugi admodum sepulcrale carmen, quod Via Latina lapidi inscriptum, & monumento olim appositum Ausonius recensuit: 18.

18. *Ep.38. in epitaph.*

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi,
Mutus in æternum sum cinis, ossa, nihil.
Non sum, nec fueram; genitus tamen e nihilo sum.
Mitte, nec exprobres singula. talis eris.

Tum hi quoque inscripti lapides sepulcrorum Via Latina extantium meminere. 19.

19. *Ap. Paul. Arringh. Tom. 1. Romæ Subterran. pag. 1. 2. & 3.*

I.

SEMPRONIVS . TVCIDANVS
TESTAMENT
IVRE . MV. QVOD . IPSE . FACIO . L. L
ABSENS . OB . POENVM . ITALIA
PVLSVM . FVNDI . BALEARES
SENATVI . P. Q. R
D. D. AVRELIVS
TVCIDANVS
TACITAM . PECVNIAM . SI . VIA . LATINA
OSSIBVS . MEIS . RE . MONVMENTVM
SVO . SVMPTV . AEDIFICARIT
HABETO.

II.

EGO . GALLVS . FAVONIVS . IOCVNDVS
PVBLII . FAVONII . FILIVS

QVI

QVI . BELLO . CONTRA . VIRIATHVM
OCCVBVI . IOCVNDVM . ET . PRVDENTEM
FILIOS . E . ME . ET . QVINTA . FABIA
CONIVGE . MEA . ORTOS . HAEREDES
RELINQVO . ET . BONORVM
IOCVNDI . PATRIS . MEI . ET . EORVM
QVAE IPSE . MIHI . ACQVISIVI
HAC . TAMEN . CONDITIONE . VT
AB . VRBE . ROMA . HVC . VENIANT
ET . OSSA . HINC . MEA . INTER
QVINQVENNIVM . EXPORTENT
ET . VIA . LATINA . CONDANT
IN . SEPVLCHRO . MARMOREO . IVSSV
MEO . CONDITO

At, quem recitabimus, lapis, Curatorem Latinæ Viæ nominat, in hæc verba,

L. ANNIO . FABIANO . III
VIRO . CAPITALI . TRIB. LEG. II
AVG. QVAEST. VRBAN. TR. PLEBIS
PRAETORI . CVRATORI
VIAE . LATINAE . LEG. LEG. X.
FRETENSIS . LEG. AVG. PROPR
PROVINC. DAC. COL. VLP.
TRAIANA . ZARMAT

Notantur præterea Via Latina in antiquis Antonini Tabulis Itinerariis hæc Loca, ad quæ divertere viatores, ac equos mutare ſolebant. *Latina ab Vrbe*: *Ad Decimum* X. *Roboraria* III. *Ad Pictas* XVII. ——— *Compitum* XV. *Intrat in Lavicanam*. In aliis autem vetuſtis Tabulis hæc tantum, deletis reliquis: *Roma, Via Latina* .... X. .... ——— *Ad Birium* V. *Compito Anagnino* X. Ex quibus omnibus

hanc in Latina Via Locorum ſeriem extitiſſe colligimus: nempe *Templum cum ſimulacro Fortunæ muliebris*, quod Romanis matronis locutum, jactabant, quarto ab urbe lapide Via Latina fuit. Quartum vero inter & quintum. Foſſæ *Cloeliæ* ſeu *Cluiliæ*, ſeu *Cliviæ*, ad quas & Metius Suffetius, & ante illum Cluilius Albanorum olim Dictatores caſtra metati fuerant; mox Coriolanus, cum infeſto agmine patriam peteret. Exinde *Templum Herculis* a Domitiano conſtructum, juxta quod ipſum tumulatum crediderim, milliario octavo. Poſtea Decimi lapidis locus, dictus *Ad Decimum*, quem alii, ubi nunc dirutum oppidum *il Borghetto*, alii vero, ubi Cinciorum prædia, vulgo *Morena*, aut *Caſale de' Cenci* collocaverunt. Mox *Tuſculani Collis* aſcenſus ac ſpatium milliario duodecimo cum dimidio inter Tuſculum urbem, ad quam ſiniſtro latere, divertigio aſcendebatur, & Albanum montem, latere dextro. Tuſculum autem duodecimo plus minus ab Urbe milliario diſtaſſe; alias diximus. Quingentos vero paſſus ultra divertigium Tuſculi, Via Latina, fuit locus *Roboraria* nomine, quod Septum erat ex robore, ſive quercu, aliiſque arboribus, ad feras claudendas. Hunc locum, juxta dirutum oppidum, e ruinis olim Veteris Tuſculi excitatum, quod nomen adhuc retinet, *La Molara* in Viæ Latinæ latere dextro fuiſſe, plures exiſtimarunt. Duobus denique ultra Roborariam mille paſſibus, *Algidum* Oppidum fuit. quod diſtaſſe milliaria ab Urbe circiter quin-

quindecim, inde colligitur. Porro ultra Algidum Strabo, Via Latina Urbes etiam *Ferentinum* & *Frusinonem* in Novo Latio constituit. quæ præscriptos nobis ultra Veteris Latii terminos quod sint, ab sui nos consideratione absolvunt. Inscriptos quidem lapides nonnullos Via Latina olim prostantes, ex Raphaelis Fabretti collectione productos hic attexemus, plurimorum deperditorum, quondam in hac Via Monumentorum extantium, testes.

Itaque Raphael Fabrettus Gasparis F. Urbinas Inscriptionum capite primo, pagina tertia numero tertiodecimo Romanæ editionis ex officina Dominici Antonii Herculis, Via Latina, vinea Cior- ria Lapidem repertum attulit sic inscriptum.

I.

D. M
CLAVDIAE
THALLVSAE AVG
LIB. ET . THALLIAE
F. EIVS . HYACIN
sic
THVS VILICVS MA
PHITHEATRI . CON
IVGI SVAE . ET . FILIAE
EIVS . ET . SIBI . ET SV
IS

Idem ibidem pag. 17. *num.* 74. *vinea Ciampina, Via Latina ad* XI. *lapid.*

II.

OSSA FAB | |
SVB FVND | |
TRIBVNALIS | |
TERRATECTA | |

Item ibid. pag. 46. *num.* 259. *vinea Scafetta, Via Latina in lapide Tiburtino.*

III.

C. VELIVS A. F. SCAPTIA
SIBI ET CONCVBINAE SVAE
ET VELIAE SP. F. TERTIAE
FILIAE . MEAE . ET
C.VELIO . C. L. PHILOMVSO
ET C. VELIO C. L. CHILONI
C. C. L. ANTIOCHO
C. C. L. FELICI . C. C. L. EROS
HOC MONVMENTVM
HEREDE . N. SEQVITVR
IN . FR. P. X. I. A. P. XII

Et pag. 82. *cap.* 2. *num.* 131. *vinea Copetta ad Viam Latinam.*

IV.

D. M
ARRIA . GERMANA
FECIT . SIBI ET . SVIS

LIBERTIS LIBERTAB
VS . POSTERISQVE
EORVM
Q.FABIVS EVTYCHES FECIT
SIBI.ET.SVIS LIBERTIS LIBER
TABVSQVE POSTERISQVE
EORVM

Item cap. 3. pag. 177. n. 362. vinea Nobb. de Puteo ad Portam Latinam.

V.

....
II. L. ARG
LAT. P. XX.
LON. P. XX.

Et pag. eadem num. 361. ibid. repert.

VI.

AOTACILI
| | LARC
LAT PED
XX. LVN
PED. XX

Pag. 159. num. 276. vinea Nobb. de Eustachiis.

VII.

Q. COSSVTIVS . Q. L
SPERATVS . LICTOR
EX . III. DECVRIS . QVI
MAGISTRATIBVS. APPARENT
ET . COSSVTIAE . PRIMAE LI-
BERTAE
Q. COSSVTIVS . Q. Ɔ. L
CORINTHVS . ET . LICINIAE
CINNAMINI . EX . PART. CO-
RINTH
COSSVTIORVM DVORVM . POSTE-
RIS . EORVM . LIB. LIBERTABVS
M. DECIVS . SALIANDER . SIBI . ET
SVIS . LIBER. LIBERTAB

Pag. 185. num. 411. vinea de Candidis ad Portam Latinam.

VIII.

D M
M. VIBIVS . TROPHI
VIRIAE NICHI. F. C
QVAE MORTVA . AN
M. II. D. VIIII. HOR.VI

Pag. 196. n. 464. vinea Ottina ad Portam Latinam.

IX.

D
FLAVIAE CHLOE I LAETI AVG
T. FLAVIVS. EVHODVS I FLAVIA CHRISIS
ET FLAVIA PRIM
FILIAE KARISSIM | FILIO . KARISSI
V. A. X. HI | V. A. VI

Pag. 213. num. 540. ibid. repert.

X.

DIONYSIAE
TI. CAESARIS . AVG
ORNATRICI . MTERN
POSVIT
TERTIVS . LIBRARIVS
ET ANIA
CONSERVI

Item pag. 241. n. 646. ex lapide Albano Via Latina ad tertium.

XI.

L. AEMILI. L. F
IN FRON. PED
XII. IN AGR
PED. XX

Pag. 38. vinea Nobb. De Sanctacruciis, Via Latina cap. 40.

XII.

D M
SYNTROPHO
ATTIANI . SER
ACVARIO VETTIA
..... RESTITVTA
CONIVGI . B. M. FECIT

Pag.

Pag. 313. *num.* 372. *Via Latina ad primum lapidem.*

XIII.

D M
AFRODISIA
EPAFRODITO
COIVCI B. M

Cap. 50. *pag.* 374. *num.* 170. *Via Latina ad secundum lapidem.*

XIV.

D. M
D. AREL. LI. O
COMMO. DO
MARI. TO . OP. TI. MO
LI. CI. NI. A
TRY. PHAE. NA

Item pag. 374. *num.* 71. *Via Latina, ibidem.*

XV.

D. M
L. SEP. TI. MI. O
THE. O. DO. RO
A. V. G. G. LI. B
L. FRE. NIVS
THEODORVS
PATER . FILIO . SVO
DVLCISSIMO
FECIT

Pag. 412. *num.* 354. *Via Latina.*

XVI.

D. N. IMP
MARCO . AVRE
LIO . VALERIO
MAXENTIO
AVG
MILIARIVS

Fragmentum repertum prope Tusculanum Ciceronis nunc vulgo Grotta Ferrata *prope sacellum Divi Andreæ. designatque Lapidem Milliarium Viæ Latinæ duodecimum.*

Pag. 414. *num.* 367. *Via Latina*

XVI.

D N
IMP. CAES
CLAVDIVS
P..........
....
..XXIIII.

Lapis milliarius Claudii Gothici in Via Latina supplendus per primum X. *ut sit trigesimusquartus.*

Cap. 70. *pag.* 501. *num.* 64. *sigillum testaceum Via Latina ad tertium lapidem.*

XVII.

Q. BASILI. MINNAE

Ibid. num. 65. *Via Latina ad tertium lapidem sigillum testaceum.*

XVIII.

C. BEBI PRIMI

Pag. 513. *num.* 181. *sigillum testaceum ad Bivium Latinæ & Asinariæ.*

XIX.

OPDOCLQQETC MART
EX PR DOM LVC
in medio nux pinea.

Pag. 516. *num.* 227. *ad Bivium Latinæ & Asinariæ.*

XX.

T FLAVI
EVCHRI

Pag. 520. *num.* 331. *vinea P.P. Convent. Via Latina.*

XXI.

SVLPICIA
AVLI SILVA

forte AVLI FILIA

Cap.8. pag. 561. num. 80. Via Latina intra Urbem.

XXII.

D M
T. FLAVIO XISTO
V. A. XXCV
FLAVIA
ARTEMISIA
PATRONO . SVO
B. M. F. ET
SIBI. LIB
LIBERTABVS
QVE . POSTERIS
QVE . EORVM

Pag. 617. num. 142. In fundo Stagnis Via Latina.

XXIII.

D . M
P. COMICIO
PHYLOPHYRSO
COMICIA. ATHENAIS
CONIVGI. ET
P. COMICIVS
PATRI. B. M. F

Pag. 717. num. 389. cap. 10. vinea Ciampina circa decimum lapidem Viæ Latinæ.

XXIV.

CL IRENICO
FILIO DVLCIS
SIMO CL EVTY
sic
CHES AVS ETCLPO
THVMENVS PA
TER ET DECIARV
FINA MATER
FECERVNT

Quamquam autem, quem mox subdemus, lapis extra Viæ Latinæ limitem prostantem recensuerit Fabrettus, utpote sub Monte Fortino; non multum tamen alienum ab hac Via, & ab Algidensium finibus, quos illustramus, eumdem quod putaverimus, huc adduximus.

Fabrett. pag. 257. num. 80.

D M
T. CRYSTIDIVS
PRISCVS COIV
GI. SVAE. QVINT
INIAE . CALLIS
TENI . BENEME
RENTI . FECIT . Q
sic
VE . CONVIXIT . M
ECV. ANNIS. P. M
XX. SINE VLLA . Q
VERELLA

Et alium in Via Tusculana non longe a Latina repertum his notis.

Idem pag. 346. c. 5. num. 3.

D . M
CATILIAE. T. F. PIAE
CONIVGI CARISSIM
T. FLAVIVS . AVG. LIB
VESTALIS
ADIVTOR AB ACTIS

CA-

CAPUT IV.

De Dianæ Algidinæ Templo.



A præter, quæ in Agro Algidensi extitisse olim, hactenus commemoravimus, Templum fuit celebre Dianæ dedicatum cum Luco eidem numini sacro. Porro id in summo Algidi montis jugo ædificatum, innuere videtur Horatius his versibus: 1. 1. Od. 21. l. 1.

Dianam, teneræ dicite virgines,
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos lætam fluviis & nemorum coma,
Quæcumque aut GELIDO PROMINET ALGIDO,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi;
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque mares Delon Apollinis,
Insignemque pharetra,
Fraternaque humerum lyra.

Cum enim *prominuisse gelido Algido* Dianæ Templum dixit poeta, illud in summo jugo montis Algidi nivibus magnam anni partem cooperto, satis significavit. Rursum autem Sæculari Carmine idem Algidense Dianæ Templum per Quindecim Viros sacris faciundis destinatos curatum dixit, his verbis

bis ad Apollinem & Dianam.

Quæque Aventinum tenet ALGIDUMQUE
Quindecim Diana preces Virorum
Curet, & votis puerorum amicas
Applicet aures.

Ad quos versus ita vetus Interpres adnotavit. ad primos quidem, gelidum Algidum sic exposuit: *in monte Algido*: ad alios vero sic: *Algidus mons ab assiduo frigore appellatus non longe ab Urbe Roma; in quo monte Romani etiam Dianæ sacra celebrabant*. Cluverius autem, & Statium Algidense Dianæ Templum, & Nemus sive Lucum nominasse, existimavit, iis versibus: 2.

2. Silv. l. 4. carm. 4.

Hos Præneste sacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra,
Tiburis hi lucos, Anienaque frigora captant.

Quibus tamen Aricinum potius Dianæ Nemus a poeta designatum, quivis merito dixerit; cum satis idem discriminaverit horrentem Algidum ab Dianæ glaciali nemore; quod & *Nemus* absque addito, propter loci celebritatem & excellentiam dicebatur. Illud quidem non abnuerim, ab Horatio de Dianæ Algidensi Luco eo carmine mentionem factam: 3.

3. Lib. 4. Od. 4.

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Quibus tamen incertissimum est, num Horatius ad ili-

ilicem respexerit magnitudinis singularis, de qua Plinius, in Dianæ Luco, in monte, qui Corne appellatur, eximiæ magnitudinis hæc memoriæ prodidit. *Est in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur, Lucus antiqua religione Dianæ sacratus a Latio, velut arte tonsili coma, fagei nemoris. in hoc arborem eximiam ætate nostra adamavit Passienus Priscus, bis Consul, Orator; Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarior postea; osculari, complectique eam solitus; non modo cubare sub ea, vinumque illi affundere. Vicina Luco est ilex, & ipsa nobilis* XXXV. *pedum ambitu caudicis;* X. *arbores mittens, singulas magnitudinis visendæ. silvamque sola facit.* Porro hoc Plinii testimonium nos in Tusculanis monumentis attulimus; cum diserte scripserit auctor: *est in suburbano Tusculani agri colle*. Cluverius tamen, ob loci vicinitatem, idem Templum Dianæ Algidensis, ac Dianæ in Colle Corne suburbano Tusculani agri, cui Lucus proximus a Latio sacratus, existimavit. Quam sententiam ex Livii quoque testimonio, ubi in Tusculani agri vicinia locum *ad Columen* nominavit 4., confirmare conatus est. quasi *ad Cornen* ibi legendum sit. Nos eum Livii locum nominis similitudinem sectantes non immerito, juxta Veteres Lavicos, ubi nunc oppidum *La Colonna*, fuisse, suspicati sumus; Collemque Corne in agro Tusculano, eo ferme situ, ubi nunc *Villa Cavalletta*, ad sinistrum Latinæ Viæ Roma venientibus latus, non inani plurium ante nos conjectura, constituimus. Quare

4. *Lib.* 3.

nunc quoque in ſententia, ut par eſt, manentes idem exiſtimamus. Neque ad titubandum movemur, quod duo tam vicina Dianæ celebria templa, duoſque lucos eidem ſacros extitiſſe, minime probari poſſe videatur. Quis enim Priſcorum Latinorum effuſam ſuperſtitionem ignoret? Cum maxime & illud certum ſit, Algidenſem Dianam, aliam ab Nemorenſi fuiſſe. De qua tamen tot tantaque nos de Aricinis loquentes commemoravimus. Cluverius itaque circa oppidum, modo *Rocca Priora*, olim Montem Algidum, & Dianæ Templum conſtituit, eumque Livio *Columen* appellatum, & Plinio Collem *Corne* in ſuburbano Tuſculani agri, ubi Lucus a Latio Dianæ ſacratus fuerit, exiſtimavit. Verum Holſtenius in ſuis ad Cluverium notis nihil in Livii lectione mutandum cenſuit; legendumque conſtanter *Ad Columen*. quem proinde diverſum ab Algido locum putavit. multoque magis diſcrimen inter Dianæ Algidenſis Templum, & Lucum eidem in colle Corne a toto Latio ſacratum agnovit. Quare Templum Dianæ in Algido collocavit in ſummo ejus montis jugo, qui accolis *La Montagna dell' Ariano* appellatur, in dextero Latinæ Viæ latere, quod Velitras in meridiem reſpicit, ſituſque illis idem eſt ad Septemtriones; & eum namque Montem in regione Algidi, ait Holſtenius, antiquitus conſtitutum; & nomen *Ariano*, ex *Ara Dianæ* deductum, auguratur. ubi etiam vetuſti templi rudera extare, credidit, ſilvarumque propagines, quæ olim Lu-

cum

cum Algidensem Dianæ sacrum confecerint. Verum & hæc Holstenii sententia multis patet obicibus. Siquidem Ariani illum montem diversum multum ab Algido ea loca præsentes recensendo, plures se dignovisse testificantur; & nomen *non ab Diana*, sed *ab Jano*, cujus Ara in eo jugo fuerit, simplicius proximiusque deducunt. præcipue cum Velitris, ad quam urbem Ariani mons pertinet, cultum Jani olim frequentissimum fuisse, legamus. Denique ea rudera, quæ Algidensis Dianæ Templi Holstenius in monte Ariano fuisse existimavit, vestigia Castri, non illius quidem antiquissimi, quod *Arianum* dictum est, vere esse, quovis posito pignore plures contendunt. Proinde, quonam potissimum loco Dianæ Algidensis Templum & Nemus fuerit constitutum, incertum adhuc remanet. Illud quidem non omiserim, silvam illam, quæ in horum locorum vicinia, vulgo dicitur *La Fajola*, latrociniis olim famosam, eam fuisse, putari posse non leviter, quam *Lucum* Plinius nominavit, *antiqua religione Dianæ sacratum a Latio, velut arte tonsili coma fagei nemoris*. Quis enim abnuat ex multa fago consitam silvam, *Fagiolam* aptissime denominatam; quemadmodum ex quercu consita nemora in Gargano Monte *Querceta Gargani* appellavit Horatius; & ex ilice lucos consitos, *Iliceta* Martialis. Ceterum neque locus silvæ Fagiolæ satis convenit Colli Corne in suburbano Tusculano agro, ubi coma illa fagei nemoris lucus fuisse a Plinio Dianæ sacer dicitur; ne-

que perrarum ex fago consitum nemus ita fuerit, ut plura ex eadem arbore, in tanta per hanc regionem silvarum frequentia, nemora consita esse non potuerint. Quid igitur, inquiet aliquis, & quorsum tot ambagibus in horum locorum aptandis nominibus volveris, si tandem nusquam certum pedem figere, nedum stabilire te posse, ipse denique confiteris? Bona tamen, bona, inquam, verba, sodes 5.. *Est* enim *quadam prodire tenus, si non datur ultra.*

5. Horat. ep. 1. l. 1.

Non possis oculo quantum contendere lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.
Nec quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa nolis corpus prohibere chiragra.

Sic est utique. dum certa non suppetunt in hisce antiquissimis, & semisepultis monumentis, aliquid minus inverisimile proferre, quamquam & illud incertum, & dubium, & subobscurum, laude sua fraudandum, si quid judico, mecumque viri eruditissimi sapiunt, apud æquos rerum æstimatores minime est. Forte enim vel tenuissimo ipso lumine, quod posteris, vel præsentibus etiam, nostra hæc Commentaria lecturis, proferimus, ipsi sagaciores, novisque detectis monumentis admoto, ad veritatem demum ipsam deprehendendam pervenient. Cujus nos detectæ, si non auctores, saltem adjutores facula aliqua prælata futuri sumus. Ceterum Algidense Dianæ Templum celebre admodum fuisse, vel inde constare potest; quod Horatius in-

inter præcipua, in quibus id numen colebatur, idem nominaverit, Aventinoque Dianæ templo Romæ celeberrimo conjunxerit. 6. 6. In Carmin. ſæcular.

Quæque Aventinum tenet Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curet,

Quindecim quoque virorum Collegium ad Algidenſia ſacra inſtitutum eamdem celebritatem deſignat. Etenim nonniſi celebribus locis hæc decernebantur ſacerdotum ſive ſacrorum præſidum Collegia. Nonnulli tamen exiſtimant, hoc loco apud Horatium de quindecim viris, qui Sibyllinis Libris præerant, & ex eorum inſpectione prodigia avveruncare ſacrificiis, & indictis expiatoriis aliis operibus publice, debebant, ſermonem eſſe. Porro in Algido etiam *Fortunæ Ædem*, atque illam quidem multa religione cultam extitiſſe docemur ex Livio, ajente inter primos Belli Punici Secundi motus, cum ceteris Vrbanis & ſuburbanis diis, etiam Algidenſem Fortunam ſupplicationibus ab Romanis fuiſſe placatam 7.. *Jam primum omnium Vrbs luſtrata eſt: hoſtiæque maiores, quibus edictum eſt, diis cæſæ: & donum ex auri pondo quadraginta Lanuvium Junoni portatum eſt: & ſignum æneum matronæ Junoni in Aventino ædificaverunt: & Lectiſternium Cære, ubi ſortes extenuatæ erant, imperatum: & ſupplicatio Fortunæ in Algido*. Has autem ſupplicationes etiam *pompas* Latini vocabant. In quibus longo ordine incedebant bini, vel terni, vel majori etiam nu-

7. Lib. 1. Dec. 3.

numero, victimasque præibant, ac prosequebantur, quas in templo, ad quod supplicaturi pergebant, immolarent. Velati autem Sacerdotes, velatæ virgines, Magistratus quoque propria singuli cujusque ordinis insignia, vestesque ornatissimas gerentes, supplicationem componebant. In qua & instrumenta musica pulsabantur,& carmina diis sacra decantabantur; quemadmodum ex Livio, Horatio, Plinio, aliisque Latinis Scriptoribus constat.

CAPUT V.

De Labicis, & Via Labicana, in finibus Algidensium.



LTRA Algidum, Agrumque Algidensem, Oppidum fuit Latinorum *Labici* & *Labicum* sive *Lavicum* nomine, edito loco, ad Viæ Latinæ sinistrum, Labicanæ vero suæ dextrum latus, antiquissimis temporibus situm. De quo multiplex, veteres apud Auctores, est mentio. In primis enim Virgilius hocOppidum ex vetustissimis fere Priscorum Latinorum fuisse significavit; ait enim in bello Latinorum adversus Æneam, reliquos inter Prisci
1. Lib. 7. Latii populos & Labicanos convenisse. 1.

Auruncæque manus, Rutuli, Veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici.

Et Silius inter vetusta ipse quoque Latii oppida La-
2. Lib. 8. bicos nominavit. 2.

Antemnaque prisco

Cru-

Crustumio prior, atque habiles ad aratra Labici. Situm utcumque oppidi Strabo innuit, Viam Latinam describens. ait enim 3.: *Incipit Via Latina ab Appia, ad sinistram, ab hac, prope Romam, deflectens. ac super montem Tusculanum transiens inter Tusculum oppidum, & montem Albanum, ad Algidum descendit oppidulum, & Pictas tabernas. Incidit hinc Lavicana, incipiens a Porta Esquilina; unde & Prænestina: relinquens autem ad sinistram hanc simul Viam, & Campum Exquilinum, procedit ad* CXX. *stadia, & adpropinquans Veteri Lavico (quod oppidum loco sublimi situm, nunc dirutum est) hoc, & Tusculum ad dexteram relinquit; & ad Pictas in Latinam desinit. Is locus Roma abest stadia* CCX. *Ex hinc in Latina Via sunt urbes Ferentinum & Frusino.* De quibus Strabonis verbis eruimus, Labicum Vetus Latinorum Oppidum, centum circiter, & viginti stadia, ab Urbe distasse, milliaria scilicet quindecim; euntibus Via, quæ *Lavicana* ab ipso dicta est; post Tusculum, dextro Viæ suæ latete, occurrisse; demum edito idem loco quondam constructum, Strabonis ætate, in ruinis jacuisse. Vicinos Labicos Algidensibus, Tusculanis, Gabinis & Prænestinis, testimonia multa significant. Illud in primis Ciceronis pro Plancio, ubi Marcum Laterensem Tusculanum alloquens Tullius, *Nisi forte*, inquit, *te Labicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat.* Dein Livius sæpe, bella commemorans Priscorum Latinorum, atque adeo ipsorum Lavicanorum, adversus Romanos, eamdem vi-

3. Lib. 5.

viciniam Labici cum Algidensibus, Gabinis & Tusculanis, ac Prænestinis agris, significavit. Nam libro tertio de Æquorum expeditione locutus, *Per Labicanos*, inquit, *agros, in Tusculanos colles transierunt*. Et libro quarto: *Bellum inde ab Æquis reparari cœptum. & novos hostes Lavicanos & consilia cum veteribus jungere, haud incertis auctoribus, Romam est allatum. Tusculanis est negotium datum; adverterent animos, ne quid novi tumultus a Lavicis oriretur*. Mox: *Nuntiabant Legati, Lavicanos arma cepisse; & cum Æquorum exercitu depopulatos agrum Tusculanum, castra in Algido posuisse*. Aliquanto post: *Captis direptisque castris, quum prædam Dictator militi concessisset; secutique fugientem ex castris hostem equites renunciassent, omnes Lavicanos victos, magnam partem Æquorum Lavicos confugisse; postero die ad Lavicos ductus exercitus; Oppidumque corona citcumdatum, scalis captum, atque direptum est*. Mox: *Senatus censuit, Coloniam Lavicos deducendam. Coloni ab urbe* CIↃIↃ. *missi bina jugera acceperunt*. Factum hoc trecentesimo trigesimo septimo ab Urbe Condita. De quo & Diodorus Siculus

4. Lib. 13. inquit 4.: κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν ῥωμαῖοι πρὸς Αἴκους Πόλεμον ἔχοντες Λαβίκους ἐξεπολιόρκησαν. scilicet: *In Italia autem Romani cum Æquis bellum gerentes, Lavicos expugnarunt*. Ubi notandum, male ab aliquibus interpretibus, *Lavinium* pro *Lavicos* hic lectum; deceptis nempe ab Græcorum vulgatorum codicum vitio, in voce Λαβίκους, ubi pro κ irrepsit ν Λαβίνους. Ceterum evidentissimum est, hic de *Lavicis*, non autem de *Lavinio*

nio Diodorum locutum. Siquidem & ceteri Auctores consonant, & Æquorum nomen idem extra omnem dubii aleam satis superque constituit. Porro Livius iterum libro quinto, *Bello*, inquit, *Æquorum ad Lavicos, qui Romanam ibi Coloniam oppugnabant*. Et libro sexto: *De Prænestinorum quoque defectione fama exorta: arguentibus eos Tusculanis, Gabinis, & Lavicanis*. Sic igitur ubique Lavicani Algidensibus, Tusculanis simul, atque Gabinis conjunguntur. Prænestini quoque quinque tantum millia passuum, aut octo, ex Holstenio, ultra Lavicos, siti erant. Itaque ex his omnibus aptissime statuendum, *Labicos Lavicos*, sive *Labicum*, aut *Lavicum* Oppidum, minime fuisse eo loco, ubi nunc recens oppidum *Valmontone*. cum hoc triginta ferme mille passus Roma distet; Labici vero distarent quindecim. hoc Viæ Latinæ dextero latere situm sit; Labici sinistro fuerint. vicinia denique Labicorum hactenus exposita longe alia fuisse, ab vicinia recentis oppidi *Valmontone*, apertissime deprehendatur. Cluverius, Labicos eo fuisse loco, existimavit, quo nunc aliud excultum oppidum, *Zagarolo* nomine, apparet. Verum id negat Holstenius, animadvertens, hoc recens oppidum in sinistro Antiquæ Lavicanæ Viæ latere situm esse; cum Labicos in dextera Viæ ipsius parte constitutos, Strabo diserte commemoraverit. Viam enim, quam Cluverius *Lavicanam* putavit, juxta oppidum *Zagarolo*, jam non Lavicanam, sed Prænestinam, in quam hæc

modo intrat, deprehensam esse. Quare melius, nos quoque, cum ipso Holstenio, Veterum Labicorum situm, non longe ab oppidulo nunc *la Colonna*, fuisse, existimabimus. Ceterum Lavici, ab antiquissimis usque temporibus Aboriginum Latium incolentium, nobile fuisse Oppidum, vel ex eo dignoscuntur, quod picta in prælium scuta deferre consuevisse ejus cives ab Virgilio memorantur. Indicat enim id, & divitem fuisse populum, & rerum gestarum jam tum fama celebrem. Siquidem & pretiosa ornataque picturis scuta, & in ipsa pictura præclara sua facta expressa in bellum ferebat. Cum e contrario scutum nullo distinctum, rerum gestarum monumento, inglorii militis argumentum, idem Virgilius fuisse, meminerit; dum ait de Helenore Mæonii regis furtivo ex serva filio: 5.

5. Lib. 9. v. 548.

parmaque inglorius alba

Colonia mox Albanorum fuere Labici. de qua Dionysius, de Marcio Coriolano locutus, inquit: 6. *Hinc adversum Lavicanos exercitum duxit. quæ urbs & ipsa Latini tunc erat Nominis, Albanorum Colonia* Ἀλβανῶν ἄποικος. Hanc captam ab Coriolano cum vicinis omnibus oppidis meminit etiam Plutarchus 7.: *Ita ipsa tandem Latinorum oppida Marcius adortus est: cepitque per vim Tolerinos, Lavicanos, Pedanos, & Bolanos, qui se ei opposuerant.* Anno autem V. C. trecentesimo trigesimo septimo, aut sexto, juxta alios, Romanorum Coloniam, Lavicos deductam, ex Livii Diodorique recitatis jam testimoniis, liquet.

6. Lib. 7.

7. In Coriolano.

Et

Et ex iis fuit, quas *Priſcas*, ad recentiorum, poſt Urbem a Gallis captam deductarum, diſcrimen, vocaverunt. Porro Ciceronis ætate Labici adhuc ſupererant quidem; verum jam deſertiſſimi; cum vix eſſent in oppido incolæ, qui veteri inſtituto Latinorum populorum, in Montem Albanum ad Latinas Ferias mitterentur, ut inde communi de ſacrificio viſcerationem, ſeu carnem acciperent; quod vetuſtiſſimum Latini Nominis argumentum erat. Nam ſic in Planciana Laterenſem Tuſculanum alloquitur Tullius. *Ergo ut alia in te erant illuſtriora, Laterenſis, quæ tibi Majores tui reliquerant; ſic te Plancius hoc non ſolum municipii, verum etiam vicinitatis genere vincebat. niſi forte te Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat; quibus e municipiis vix jam qui carnem Latinis petant, inveniuntur*. Ubi Lavicos, non jam *Coloniam*, ſed *Municipium* a Cicerone appellatos audis. Ceterum fertilis Lavicanus Ager Silio memoratur eo verſu. 8. *Antemnaque Priſco* 8. *Lib.* 8.

Cruſtumio prior: atque habiles ad aratra Labici.

Et ante illum Ciceroni, in prima de Lege Agraria ad populum, contra Rullum, oratione. *Agros vero Vaticanum & Pupinium cum ſuis opimis atque uberibus campis conferendos non putabunt. Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per riſum, ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam; ipſum hercule Lanuvium, Ariciam, Tuſculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceria comparabunt*. Labicani Agri felicitate uſus eſt ali-

quando etiam Annibal. cujus ad urbem iter a Livio 9. Lib. 26. sic describitur 9.: *Annibal, infestius perpopulato agro Fregellano, propter intercisos pontes, per Frusinatem, Ferentinatemque, & Anagninum agrum, in Labicanum venit. inde Algido Tusculum petiit.* cetera. Unde Si- 10. Lib. 12. lius iterum de ejusdem Annibalis itinere. 10.

Jamque adeo est campos ingressus, & Arva Labici,
Linquens Telegoni pulsatos ariete muros,
Haud dignam inter tanta moram; nec amœna retentant
Algida. nec juxta Junonis tecta Gabinæ.

Ad quæ Silii carmina illud notandum est, quod Labicanos Agros, *Campos* dixerit atque *Arva*, quæ proprie loca sunt ad frugum sationem excipiendam. Unde novum quoque pondus adjici potest sententiæ ajenti, Labicos juxta locum oppidi recentis *La Colonna* sitos fuisse. Siquidem circa hoc oppidum planicies camporum sese extendit fertilissima nunc quoque, & frugibus multiplicandis aptissima. Julium Cæsarem Dictatorem Perpetuum villam habuisse in Lavicano, in eaque diversari solitum, ac ibidem testamentum condidisse memoriæ prodidit in ejus vita Tranquillus. *Postulante ergo L. Pisone socero, testamentum ejus aperitur: recitaturque in Antonii domo, quod Idibus Septembribus proximis in Lavicano suo fecerat, demandaveratque Virgini Vestali Maximæ.*

Ceterum Silius idem *Labicum* memorat virum fortissimum, qui cum in Sicilia singulari certamine cum Amilcare Pœnorum duce clarissimo decertasset;

ſet; eumque viciſſet; tandem jam ſenior celeberrima apud Thraſymenum pugna ab Annibale confectus eſt. De illo Silius. 11. 11. *Lib. 5.*

Hinc Fadum petit, & veterem bellare LABICUM,
Cui Siculis quondam terris congreſſus Amilcar
Clarum ſpectato dederat certamine nomen.
Immemor annorum, ſeniumque oblitus, in arma
Ille quidem cruda mente, & viridiſſimus iræ
Ibat: ſed vani frigentem in marte ſenectam
Prodebant ictus; ſtipula crepitabat inani
Ignis iners, caſſamque dabat ſine robore flammam.
Quem poſtquam accepit patrio monſtrante ſuperbus
Armigero Pœnûm ductor; certamina primæ
Hic lue, nunc, inquit, pugnæ; te notus Amilcar
Hac trahit ad manes dextra: tum librat ab aure
Intorquens jaculum, & verſantem in vulnere ſeſe
Tranſigit. extracta fœdavit cuſpide ſanguis
Caniciem, & longos finivit morte labores.

Labicum hunc ex Labico Oppido, prudenti ſane conjectura putavit egreſſum Marſus Silii interpres. Talis enim hujus poetæ mos fuit, ut, vetera Italiæ oppida illuſtraturus, virum aliquem illis ortum, vel cognominem, fortiter pugnantem induxerit. quemadmodum in Veliterno, Milone Lanuvino, Pediano Patavino, Catone Tuſculano, aliiſque pluribus conſtat. Porro nomen *Labici* quidam a montibus, in quibus oppidum fuerat conditum, qui *Labici Montes* vocarentur, deductum exiſtimaverunt. quidam 12. vero a *Labico* Glauci filio, Minois 12. *Ligor. v. Labico.*

Cre-

Cretensium regis nepote Labicum conditum, ab eodem vocabulum quoque mutuatum, scripserunt. Incerta utriusque originis ac derivati nominis fama est. Hoc quidem certum, propter literæ *B* & *V* tum apud Græcos, tum apud Latinos affinitatem, Oppidum nunc *Labicum*, nunc *Lavicum* nominatum. Multitudinis quoque numero *Labici*, aut *Lavici*; ut *habiles ad aratra Labici*: & singulari pariter *Labicum* neutro genere, ut ex recitatis hactenus tot Veterum testimoniis patet, appellatum est.

Non ultima vero hujus Oppidi laus fuerit, quod Viæ Consulari nomen dederit, quæ *Lavicana* dicta est. Hanc a Porta Exquilina cœpisse, nuper
13. *L.36. c.5.* de Strabone protulimus; quæ Plinio 13. *Labicana Porta* etiam fuit. Habuit hæc sinistram Viam Prænestinam & Exquilinum Campum; dexteram Latinam Viam. Ejus loca, sive stationes vocare malueris, in vetustis Itinerariis Tabulis ita signantur. *Roma, Via Lavicana*: *Ad Quintanas* XV. *Ad Statuas* III. *Ad Pictas* VII. *Ad Birium* V. *Compito Anagnino* X. *Ferentinum* VIIII. In Antonini autem Itinerario sic: *Lavicana, ab Urbe. Ad Quintanas* XV. —— *Ad Pictas* X —— *Compitum* XV. *Ferentino* VIII. In primis itaque extra Portam Exquilinam, quæ & Prænestina & Labicana dicta est, ad Viæ Lavicanæ sinistrum latus, Campus fuit Exquilinus, in quo
14. *Annal. l.2.* rei olim confici consueverant. Nam Tacitus 14. *in P. Marcium*, inquit, *Consules extra Portam Exquilinam, cum classicum canere jussissent, animadvertere.*

Idem

Idem Svetonius in Claudio his verbis confirmavit: *Civitatem Romanam usurpantes in Campo Exquilino securi percussit*. Eodem postea, etiam non reorum, vilium tamen mancipiorum cadavera projici consuevere. Horatius: 15. 15. Sat. 8. l. 1.

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: hæredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Exquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Atque alibi Vates idem Canidiam & Saganam & Vejam, veneficas insectatus, ex pueri nobilis ab iis jam jam morituri persona

Post insepulta membra different lupi. 16. 16. 5. Epod.
Et Exquilinæ alites.

Eumdem locum & *Puticulos* & *Puticulas* veteres Latini nominaverunt. Cujus vocabuli originem Varro sic 17. explicavit. *Puticulæ, quod putrescant cadavera ibi projecta; qui locus publicus, ultra Exquilias*. 17. Lib. 1. L. L. Alii, *a putore* ipsorum cadaverum, vel a *puteis*, quod in fossas, puteorum instar, projicerentur, nomen derivatum loco, scripserunt. Quæ ferme in idem conveniunt. Circa Lavicanam Viam & Campum Exquilinum, occisum fuisse Asinium, tradidit Tullius 18.: *Asinius autem brevi illo tempore, quasi* 18. Pro Cluent.

in

in hortulos iret, in arenarias quasdam extra Portam Exquilinam perductus occiditur. Has puto arenarias fuisse, quibus postea Christiani Via Lavicana, tertium inter & quartum ab Urbe lapidem, in suorum sepulturam usi sunt. Loco nunc vulgare nomen *Torre Pignattara*. Ibi vetustissima Sanctis Marcellino & Petro gloriosissimis Christi Athletis sacra Ædes est dedicata. Intra quam ipsorum Corpora olim condita. Sancti etiam Tiburtii ibidem reliquiæ. Et Divæ Helenæ Augustæ Magni Constantini Imperatoris matris sanctissimæ feminæ Corpus olim collocatum, purpuream intra pretiosam arcam, e marmore, quod Græci *porphyreticon* appellant. Quamvis Byzantium inde, subsecutis sæculis, translatum fuerit, aliæque alio Sanctorum reliquiæ. Loco nomen in Fastis Sacris, *Ad duas*, sive *inter duas Lauros*, *Via Lavicana*. Eadem Via, haud ita procul ab Urbe *Fanum Quietis* deæ fuit. Livius libro quarto: *cum hæc agerentur*, inquit, *jam Consul Via Labicana ad Fanum Quietis erat*. Dedicatum id fuerat, primo cum Latinis percusso fœdere. Sepulcrum quoque Alcimi pueri, seu servi Martialis Poetæ, ut videtur, fuit Via Lavicana, neque ita procul ab Urbe; circa quod buxus & vites. Martialis enim:

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana levi cespite velat humus;
Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor.

Sed

Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
Quæque virent lacrymis humida prata meis.
Accipe, chare puer, nostri monumenta doloris;
Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.
Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos:
Non aliter cineres mando jacere meos. 19.

Quod carmen, inscriptum lapidi, & sepulcro ipsi appositum, non leviter credimus. Siquidem quamplurima hujusmodi carmina, & elegantissima quandoque, marmoribus sepulcralibus insculpta, reperta sunt. Quæ passim Gruterus, aliique produxere. Arringhius etiam Via Lavicana constituit sepulcrum 20. Alexandri Imperatoris & Mammeæ ejus matris detectum in Fabricii Lazzari vinea apud Novam Viam Tusculanam, sinistro latere, loco qui nunc dicitur *Monte del Grano*: ubi adhuc tumulus seu colliculus apparet cupressibus cinctus. ibi enim urna sepulcralis marmorea detecta fuit, in qua celebris raptarum Sabinarum insculpta exhibetur historia; in operculo autem eorumdem Alexandri & Mammeæ imagines affabre elaboratæ conspiciuntur. Quod monumentum, Romano Capitolio dignissimum, illuc merito translatum est. Ceterum Via Labicana, milliario quinto Salvii Juliani inter Jure-Consultos notissimi, Consulis, & Urbis Præfecti sepulcrum extitit. Intra quod Didii quoque Juliani Imperatoris, Salvii ipsius pronepotis, corpus illatum est. Quod his verbis memoriæ Spartianus 21. prodidit. *Corpus ejus* (Didii Ju-

19. *L.* 1. *ep.* 89.

20. *Rom. subterr. t.* 1. *l.* 4. *c.* 8.

21. *In vita.*

Juliani) *a Severo uxori Manliæ Scantillæ, ac filiæ ad ſepulturam eſt redditum; & in proavi monumentum translatum, milliario quinto, Via Labicana.* Juxta quam, Romano more, plura fuerunt aliorum celebrium virorum monumenta ad exitus villarum: quorum veſtigia nonnulla ab Pyrrho Ligorio detecta & recenſita fuerunt. ſcilicet monumentum Q. Eradii Calliſti Liberti; circa quod Cereris ſtatua, cum hac inſcripta baſi, reperta fuit.

CERERI . DEAE . CONSERVATR
HORREORVM . RVRI . ERADIAN
Q. ERADIVS Q. L. CALLISTVS
AGRIMENSOR. AEDIFICIOR. PVBL
SVA . PECVNIA . DELVBR. FECIT
D. D. NON. APRIL. M. AVRELIO ANTON
COMMODO . AVG. VI. ET L. PETRONIO SEPTIMI
ANO . FELICE . COSS

22. *M.S.A.L.* In alio quoque Lapide ibidem eruto notæ: 22.

CERERI . FRVGIFERAE . ET . PROSERPINAE SACR
ERADIA . Q. F. STHENELEA . LIB
ARA............NDA . CVRAVIT

Eamdem juxta Viam, Apiania villa fuit, cum Conditoriis Sexti Apianii Liberti, quem Apollophanem cognominabant 23.. Et Rus Dalmætianum Marci Dalmæti Equitis Romani e Tribu Anienſi. ubi ara fuit, atque ædicula Genio Loci conſervatori dedicata, penultimo Auguſti Cæſaris anno. quod ex ibidem reperto Lapide ſic inciſo conſtitit.

23. *Ligor. v. Apiania.*

GENIO . CONSERVATORI . FVNDI . DALMAETIANI
M. DALMAETVS . P. F. ANIEN
PRISCVS . EQ. ROM. SACRVM

NON.

NON. MAII . M. IVNIO . MENTIO . SVLLANO . ET
L. NORBANO . BALBO . COSS

Vbi pariter totius Dalmætiæ Familiæ atque adeo Gentis sepulcra fuisse videbantur. Siquidem fragmenta lapidum ibi eruta, conditum ibidem sepulcrum Dalmætiis ab P.Dalmætio Oufentinæ Tribus, & a 24. Cajo Dalmætio Aniensis, testificabantur. Sed & Rus *Licimnianum*, & *Licimniana Sepulcra*, juxta Viam Lavicanam fuere. Basis statuæ ibidem Dianæ dedicatæ sic memorabat: 25.

24. *Ligor. v.* Dalmaetiano.

25. *Id. v.* Licimniano.

DIANAE . LICIMNIANAE . SERVATRICI
SACRVM
L. AICTIVS . L. L. LICIMNIVS
LICIMNIANVS . TABVLARIVS . POMPT
D. D. N. N. GRATIANI . AVG
ET FL. - - - - - - - - - - - - - - -

Pontiana quoque prædia & *Quartiana* 26. M. Pontii Lemitani & Sexti Quartii Pæti Equitum Romanorum, juxta Viam Lavicanam fuisse, sepulcralia eorumdem monumenta significabant. Ceterum ad decimum quintum lapidem hac Via, locus in antiquis itinerariis Tabulis notatur *Ad Quintanas*. qui juxta Labicum ipsum fuisse colligitur. Ibi pagus fuit, ex quo pagani *Labicani Quintanenses* nominanabantur. Testis est Lapis antiquus prope oppidum *la Colonna*, veteris Labici sedem, erutus in vinea Lazzarina, qui adhuc parieti apothecæ insertus visitur, legiturque in hæc verba: 27.

26. *Id. v.* Pontiano, *&* Quartiano.

27. *Fabret. c. 7. p. 540. & 559. & alii. Inscript. num. 367. Dissert. 3. de Aquæduct.*

D. M.
PARTHENIO ARCARIO
REI . PVBLICAE

LAVICANORVM
QVINTANENSIVM

Et ſigillum teſtaceum in villa Corſina ad Portam Aureliam literis duarum unciarum.

EX PREDIS QVINTANESIB
AGATHIRSVS AVG LIB
F

Porro *Quintanam* aliqui Caſtrorum ſive militum partem quamdam, puta *Quintam* alicuius numeri, fuiſſe dicunt; atque hunc locum *Ad Quintanas* vel ipſum Labicum, vel certe juxta ipſum, verſus Septentriones fuiſſe, de numero milliariorum Viæ Lavicanæ, merito 28. crediderunt. Sequitur in eiuſdem Viæ Itinerariis Locus *Ad Statuas* dictus & a Quintanis tertio milliari diſtans; quem ab inſignibus aliquibus ſtatuis ibi collocatis ſic nominatum, jure conjicimus. Poſt hunc diverſorium erat *Ad Pictas*. ſcilicet ædes, vel domos; ultra adhuc ſeptimum lapidem. Hic ſubſtitiſſe L. Syllam cum exercitu, meminit ex Plutarcho Cluverius; quod Senatus Legati hoc loco ei Romam infeſtis ſignis adproperanti occurrerant, pollicentes Senatum Syllæ ſatisfacturum. Verum, Legatis vix digreſſis, confeſtim L. Paſillum & C. Mummium præmiſit ad Portam, murumque apud Exquilinum collem occupanda. moxque ipſe citato ſequutus eſt curſu. Ultra *Pictas*, *Bivium* fuit Via Lavicana, milliario quinto. quod male in antiquis Tabulis *Ad Birium* dicitur. Hic Latinam ac Lavicanam junctas, memo-

28. Cluv. Ital. antiq. l. 3. p. 949.

morant. Ob hoc Romam venientibus Bivium occurrens loco nomen fecit. Quamquam Strabo, duas hasce Vias ad diversorium *Pictas* simul incidisse, prodiderit. quod, eas iterum ad locum Bivii idem, post diversum rursum iter præbitum, præstitisse, minime prohibet. Cum viarum meatus, circuitus, anfractusque hujusmodi fuerint plurimi; nempe ob montium ac lacunarum in illis sternendis obices devitandos, ita dispositi. Ultra Bivium paullo, juxta Viam Lavicanam fuit *Villa Magna*, cujus maxima superant etiamnum vestigia, quæ priscum nomen hodieque servant. Hanc Pompeii Magni fuisse, existimant, de cujus nomine *Magna* sit appellata. Anagniæ vero in sacra Æde principe duæ extant marmoreæ Tabulæ L. Septimii Severi & M. Aurelii Antonini Imperatorum, quæ ipsos viam quæ ducit in Villam Magnam silice, pecunia sua stravisse memorant. quas & Manutius 29. recensuit. Profecto *Bivium* creditur Cluverio fuisse ad oppidum modo *Valmontone*. Ultra quod, milliario decimo, *Compitum* fuit Anagninum, sub ipsa urbe Anagnia, quadragesimo ab urbe Roma lapide, ubi Anagninorum emporium, & Viæ Lavicanæ ad ipsam Anagniam diverticulum. At Holstenius antiqua hæc Lavicanæ Viæ Loca cum recentibus ita contulit; ut Locus *ad Quintanas* dictus is fuerit, ubi nunc *L'Osteria della Colonna*: *Ad Statuas*, *San Cesale*: *Ad Pictas*, *Li Quadri*: *Ad Bivium*, *Sant' Ilario*. *Compitum Anagninum*, *L'Osteria di Anagni*. Ultra quod deni-

29. *Orthograph. pag. 370.*

nique *Ferentinum* Oppidum nunc pariter *Ferentino* dictum, milliario octavo. Desertum vel ipsa Horatii poetæ ætate fuisse id 30. sic innuitur:

30. Ep. 17. l. 1. ad Scævam.

Si te grata quies, & primam somnus in horam
Delectat: si te pulvis strepitusque rotarum:
Si lædit caupona: Ferentinum ire jubebo.

Verum quædam Lavicanæ Viæ loca cum Latinæ, quædam cum Prænestinæ Viæ diversoriis fuere communia. Quare in singulis hisce Viis eadem merito commemoranda. Duo præterea Lapides, circa oppida, *La Colonna* alter, alter vero *Zagarolo*, detecti, ad veteres Labicos spectasse viris eruditis crediti sunt. Quos proinde nefas hic omisisse. Alter sic memorat:

C. AVRVNCEIVS: :: :: :: :: :: : :
COTTA
COLONIS . INCOLIS . HOSPIT :: :: :
ADVENTORIBVS . SERVISQ. . . . .
EORVM
LAVATIONEM . EX . SVA . PECVNIA
GRATVITAM . IN . PERPETVOM. DEDIT

Alter vero sic:

LATONAE
SACR
C. ABELLIVS . C. F. OVFEN
STRATVS
V. S. L. M.

Ceterum Labicana Via, quæ a Labicana Porta in Colle Exquilino Labicos usque ducebat, a Censoribus primum Tusculano silice instrata fuerat; deinde a Vespasiano Cæsare; demum ab Trajano restitu-

tuta, Ligorio teste. Hac eadem Via milliario lapide ab Urbe circiter sexto, contra prædium & villam Burghesiæ Gentis cognomento *Torre Nova*, anno post Christum natum MDCCXXXVIII. ineunte, ingens detectum fuit a fossoribus Mausolæum pluribus distinctum sepulcralibus cubiculis, in quorum uno sarcophagus marmoreus perelegans palmos decem & semis longus repertus est. intus quem magna erant hominis ossa. Romam vero translatum vidi Actæonis fabula insculptum scite. siquidem in anteriori fronte Diana est in antro nemoroso ad rivum seu fontem lavans; Actæon vero desuper ex abdito curiose inspectans. Mox idem Actæon, cervinis cornibus adnatis, a canibus appetitus, venatore collega ipsoque Actæone, baculo & saxis frustra illos propulsare conantibus. Latera sarcophagi alterum quidem venatores cum canibus colludentes, ipsosque pascentes, alterum vero Actæonis dilacerati sepulturam exhibent. Operculi fascia nymphis marinis, marinis pariter monstris invectis cælatur; cornua ejusdem operculi duplici larva affabre admodum insculpta exornantur. Ex Plinio autem erui posse videtur, Labicos ea ætate jam diu excisos jacuisse in ruinis. Siquidem eorum hunc apud auctorem nulla mentio; sed tantum populorum, qui Labicanum agrum incolebant. Ait enim in recensione Latinorum, vicinorumque illis populorum 31.: *Et qui ex agro Latino, item Hernico, item Labicano cognominati*. Attamen etiam Christianis 31. *Lib. 3. c. 5.*

nis sæculis id oppidum restitutum est, floruitque aliquando. siquidem inter Conciliorum sacrorum Patres etiam *Lavicanus Antistes* legitur apud Arringhium.

Ceterum fuere Via Lavicana, præter hactenus allata sepulcralia Veterum monimenta, alia quamplurima; ac præsertim militiæ equestris, circa quartum ejusdem Viæ lapidem, juxta locum, ubi Mausoleum Divæ Helenæ, de quo diximus, vulgo *Torre Pignattara*, desumto vocabulo ex columbariis ollarum cinerariarum refertissimis ibidem extantibus olim cum titulo. Inscriptiones a Fabretto descriptas atque collectas in medium huc afferemus.

Itaque Fabrettus inscript. cap. 2. pag. 104. num. 244. Via Lavicana, ad Mausoleum D. Helenæ titulum extantem sic retulit.

I.

D. M
T. AVRELIVS . SVMMVS . EQ
SING. AVG. CLAVDIO
VIRVNO . NAT. NORIC
VIX. ANN. XXVII. MIL
ANN. VIIII. P. AELIVS
SEVERVS . HERES
AMIC. OPTIM. F. C

Et pag. 108. *num.* 261. *vinea P.P. Tertii Ordinis Via Lavicana.*

II.

DIS . MAN
N. IVNIO
EPIGONO

Item cap. 3. *pag.* 195. *num.* 460. *ad Mausol. D. Helenæ Via Lavic.*

III.

DIS MÁNIB
SACR
IVNIA . PANNYCYS
MODESTÓ
NEPÓTI SVO

Et pag. 211. *num.* 532. *vinea del Pane, Via Lavic.*

IV.

D . M
CLAVDIAE . CAPRIOLAE
BENE.MERITAE.TI. CLAVDIVS

DE-

DEMETRIVS . PATRONVS. LIB
OPTIMAE . FECIT. ET. SIBI. ET
POSTERISQVE . F SVIS

Pag. 216. num. 560. prope Mausol. D. Helen. in muro columbarii, Via Lavic.

V.

L. ATILIVS EROS
MECIAE . FELICLE A
A. FVFICIVS. FEROX
L.CANINIVS.RHESVS
VIBIA PROBITAS
POSTERISQV SVIS

Et cap. 4. pag. 249. num. 22. super Cæmeterio B. Castuli, Via Lavican.

VI.

DIS. MAN
ATHICTI. AVG. L
A LIBELLIS
FISCI. FRVM
FLAVIA . EVTYCHA
CONIVGI
B. M

Pag. 249. uum. 25. ad Mausol. D. Helen. Via Lavic.

VII.

D . M
LOLLIAE HAELENES
VIX. ANN. LXXV
MENS. VIII. DIES X
EPAPHRODITVS
AVG. LIB. CONIVGI
BENEMERENTI. FECIT

Pag. 254. num. 60. ad Mausol. D. Helen. Via Lavic.

VIII.

L. LICINIVS. L. L
AMPHIO . PIVS
BONIS . PROBATVS
. . CINIA L. L

Pag. 285. num. 196. ibidem.

IX.

D. M. S
CALLYROE
V. AN. VII.
H. S. E. S. T. T. L
Hic . sita . est . sit . tibi . terra . levis.

Pag. 286. num. 199. ibid.

X.

C . M
FIRMILLO . QVI
VIX. ANN. XX
VENNVLAVS
FRATRI. B. M
FECIT
H. S. E. S. T. T. L
Hic . situs . est . sit . tibi . terra. levis

Pag. 286. num. 206. ibid.

XI.

D . M
DORIPHORO. QVI. VIXIT. AN-
NIS
XXIIII.PIO.IN. SVIS. ANICETVS
FRATRI . KARISSIMO . B. M
H. S. E. S. T. T. L

It. pag. 286. num. 207.

XII.

D. M. S
OPERA . A
NORV. XXI
SOR. BENM
FEC. HSEST
TL

Pag. 298. num. 266. ad Mausol. D. Helen. Via Lavic.

XIII.

T. FLAVIO
AVG. V. STI . L
FELICI . VERNAE
ADIVTORI

ARATIONIBVS
DILIGENS FRATER

Pag. 312. num. 357. Via Lavicana in muro vineæ.

XIV.
D . M
ZOSIMO CAESARS
MINISTRATORI
HYGIA CONIVGI
SVO . B. M
V. A. XXXV

Cap. 5. pag. 348. num. 16. ad Mausol. D. Helen. Via Lavic.

XV.
P. ANTONIO. M. L. PHILEMO
ET LIBERTIS ET LIBERTABVS
EIVS . IN FRONTE . P. XII
IN AGRO P. XII

Pag. 349. num. 22. ibid.

XVI.
ZMARAGDO
IVLIA C. F
TREBONIA
ALVMNO
PIENTISSIMORVM
PIISSIMO
ET DVLCISSIMO

Pag. 357. num. 71. ad Mausol. D. Helen. Via Lavic.

XVII.
D . M
AVREL. VICTORI. EQ
SING. TVRM. CONSTAN
TINI. NAT. DACVS
ALLECT. EX ALA . I. ILLY
RICOR. VIXIT ANNIS. XXXIII
MIL. AN. XIII. VLPIVS
MACEDO . ET . VLP. MA
TERNVS. DVPL. HERED. B. M F

Pag. 357. num. 72. ibid.

XVIII.
D . M
IVSTVS IVVENIS
ARMORV. CVSTOS
EQ. S. IMP. N. TVR
N. AMMINI . VIXIT
ANN. XXXV. STP. XII
CVRANTE AVFI
DIO . VICTORINO
AMICO . IPSIVS

Pag. 358. num. 75. ibid. vinea P.P. Tertii Ordinis.

XIX.
D . M
AVREL. FIRMANVS . EQ SING D. N
TVRLVCIANI ORIVND EX PROVIN
PANN IMF VIX ANN. XXXV. MIL AN XV
AEL MAXIMIANVS DEC ET AVREL
CANDIDVS

Pag. 358. num. 76. ad Mausol. D. Helen. Via Lavicana.

XX.
D . M
M. AVREL. BITHO . EQ. SING. D. N
EX . TVRMA . LONGINI C. N. NAT
THRAX . VIX. ANN. XXXIII. MENS
III. MIL. ANN. XV. M. AVR. SYRVS
FRATER . ET . P ....
VN ....

Pag. 359. num. 90. ibid.

XXI.
M
.... MANSVETO
.... NG. A. TVR

Pag. 359. num. 86. ibid.

XXII.
D . M
C. IVL. VICTOR . EQ
SING. AVG. TVR. CL. SPE
CTATI NAT. PANN. CL
SAVARIA . VIX. ANN. XLV
MIL. ANN. XXV. AVR. CELER
DEC.

DEC. NVMERI EIVSDEM
H. A. O. F. C
Heres. Amico . Optimo . Faciundum Curavit.

Pag. 359. num. 89. ibid.
XXIII.

D
AVFIDIVS
EQ. SING. IMP. N.
T. APOLLINAR
N. XXVIII. STIP
RANTE AVRE
ISIDORO

Pag. 359. num. 91. ibid.
XXIV.

D . M
RESPECTINVS . RESPECTI
ANVS . N. NORICVS . T. DI
OSCORI. Q. V. AN. XXX
STIP. XII. CVRANTAE sic
FRONTINIO FRONTO
NE . ERES IPSIVS (sic)

Pag. 359. num. 92.
XXV.

D M
Q. PVTENTINO EQ SING N
TVR.ROMANI.NA.RET.VIXAN
XXXX MIL AN XVII TVRNIVS
PEREGRINVS ORRES (heres) ET IVLI
A CASIA CVIVX CVNERE (coheres)
B. M FCERVN

Via Lavicana ad Mausol. D. Helen. ibi sepulchretum equitum singularium CL. *centum quinquaginta. ibidem Equus insculptus , & puer cum virga sub equite in feretro .*

Pag. 388. num. 246. ibid. vinea P.P. Tertii Ordinis.

XXVI.

D M sic
AVREL. INCENVS . EQVIS
SING. AVGG. CASTRIS. NOVIS
T. FLAVINI . STIPENDIOR

Pag. 394. num. 273. ibid.
XXVII.

D . M
FLAVIO . CVPITO
VETERANO. CōH
AVVNCVLO
AVRELI. APRILI
SESQ

Sesquiplici , seu sesquiplario . ad discrimen Duplarii , seu Duplicarii , & Equitis singularis .

Pag. 473. cap. 6. num. 23. a tertio lapide Viæ Labicanæ . Spon. in Miscell. pag. 85.
XXVIII.

SILVANO FLAVIORVM
CASSIANVS.T.FLAVI. AVG.LIB
CELADI.LIBERTVS.FECIT.VNA
CVM. FLAVIS. CASSIANO. ET
AMANDO. FILIS. INCHOATA
ANTONINO . AVG. PIO . P. P
DEDICATA XV KAL APRIL
SCIPIONE ORPHITO . ET
SOSIO . PRISCO . COS

Cap. 7. pag. 513. ad Maus. D. Helen. Via Lavicana sigill. testac.
XXIX.

EX . PR. DOMITIAE . LVCILLAE EX FIG
MINORIB.OP.DOL.AELI.ALE DOMIT
XANDRI

Pag. 516. num. 245. sigill. Via Lavicana Prænestina ad Aquam Transversam .
XXX.

EX P. IVLIAE ALB. OP. HERMIAE
APR. ET PAET COS

Pag.601. num. 20. cap. 9. Via Lavicana contra Mauſ. D. Helen. in lapid. Tiburtino.

XXXI.

CN.OCTAVIVS L. AFRICIVS
...... THO PHILARGYRVS
NICESIA SIBI ET SVIS

Pag.626. n.226. ad Mauſ. D.Helen. Via Lavic.

XXXII.

IGNATIVS . SEM
NVS
XV KAL FEB
HANNIBALLIANO
ET ASCLEPIODO
TO COSS

Pag. 630. num. 256. in fronte ſarcophagi ad murum vineæ Via Lavic.

XXXIII.

MAEBIAE . ROMA
NAE . FILIAE . PIIS
SIMAE . CEIONI
A. LOLLIANA . MA
TER INFELICISSI
MA . POS....

Pag. 638. num.324. Via Lavicana ad tertium lapidem.

XXXIV.

PETREIA
M. L. PROTA
SIBI ET
SVIS
INFR . P. XII
INAG. P. XX

Pag.639. num. 328. ad Mauſol. D.Helen. Via Lavic.

XXXV.

D . M
Q. POTINO
HERMAE
AMETHYSTVS . L
PATRON. BENEME
PICARIAE SECVNDAE

Pag. 639. num. 334. ibid.

XXXVI.

Q. FVLVIVS
AMARANTHVS
PITERNIAE
PRIMIGENIAE
CONIVG. SVAE
CARISSIMAE
CVM . QVA
VIXIT . ANN. XXXX
INFR. P. XVI
IN AGR. P. XII

Pag.655. num. 474. ibid.

XXXVII.

M. TERENTIVS
M. L. EVANTHVS
VENVLATIA
L. L. NOBILIS

Pag. 710. num. 312. cap. 10

XXXVIII.

DIS MANIB
PETRONIAE
TELESINAE
T. PETRONIVS
EPAPHRODITVS
CONIVGI
B. M. FECIT

Cavernula ſubdita cum oſtii veſtigio ad claudendos cineres, in vinea Saccoccia ad Viam Lavicanam.

Pag. 712. num. 335. ibid.

XXXIX.

GR. ANIA QVARTA
BIMA

Item pag. 712. num. 336. ibid.

XL.

PAPINIA. Q. L
MOSCHIS

P. AR-

P. ARRIO Ɔ. L. SVRO
INFRO. P. XII
INAGRO. P. XV

Pag. 715. num. 366. ad Mausol. D. Helen. Via Lavicana.

XLI.

M. LAEVIVS. Ɔ. L. DIONYSIVS. HOC
MONVM. FECIT. M. LAEVIO
M. F. PAL. NIGRO. F. S. ET SIBI ET SVEIS

Pag. 719. num. 411. ibid.

XLII.

D. M
MELRE. Q
VIX. AN. IX

LICE SOROR
B. M. F. C

Pag. 720. num. 417. Via Lavicacana.

XLIII.

DIS MANIBVS
TI. CLAVDIO. NERONIS
AVG. L. HICELO
CVBICVLARIO
VIX. ANN. XXXX

Potentissimi simulque rapacissimi Galbæ Liberti Hiceli meminit Tacitus hist. lib. 1. cap. 13. & 37. & Svetonius in Galba.

CAPUT VI.

De Corbione, Bola, Hortana, Ecetra, & Vitellia quondam circa Algidum Oppidis.



PROTINUS ultra Algidum intra Veteris Latii fines Corbio Oppidum fuit, cujus sæpe Dionysius ac Livius, aliique Scriptores meminere. Breviator Stephani de illo sic. Κορϐιὼν πόλις Αἰκανῶν ἐν Ἰταλίᾳ. Διονύσιος Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας ι. τὸ ἐθνικὸν Κορϐιώνιος ὡς Ἀντρώνιος scilicet: *Corvion oppidum in Italia. Dionysius Romanæ Antiquitatis decimo. Gentilitium Corvionios, ut Antronios.* Livius libro tertio, ab Quintio Cincinnato Dictatore Æquos qui id oppidum occupaverant ex eo decedere jussos, tradidit: *Ab Consule ad Dictatorem ire jussis, ignominiam infensus addidit. Gracchum Cluilium ducem, principesque alios vinctos ad se*

1 Lib. 10. *ſe adduci jubet, oppido Corbione decedi*. 1 Quod idem Dionyſius inquit, edictum referens Æquis ab Dictatore inter cetera, *uti, cum Tuſculanos Populi Romani ſocios nulla laceſſiti injuria, capto & direpto oppido, in ſervitutem abegiſſent; viciſſim ſibi e ſuis oppidis Corbionem traderent eodem tractandum modo*. Quod dedi ideo poſtulavit Dictator, ut præſidium ibi Romanum imponeretur, nec tam facile inde in Algidum, atque hinc in Tuſculanum, ceterumque Latinorum agrum excurrere poſſent. Brevi tamen Corbio ab Æquis rurſum captum eſt & direptum, addente Dionyſio; Æquanos, quamquam nuper devictos, arma reſumſiſſe; & omiſſo per noctem juventutis robore, Corbionis, quod oppidum ſuperiore anno Romanis dediderant, præſidium ſopitum adgreſſos interfeciſſe. Ceteros magno numero egreſſos, *Virtonem* Latinæ Gentis Oppidum primo impetu cepiſſe. Virtonem tamen Dionyſii, *Hortanam* vicinum his locis oppidum legendum, ſuſpicamur. Livius vero de eadem Æquorum invaſione, Q. Minucio, M. Horatio Pulvillo Coſſ. in Corbionem oppidum facta, dum Tribunitiæ ſeditiones Romæ ferveſcerent, *Ulterius* 2., inquit, *ventum foret, ni, velut dedita opera, nocturno impetu, Æquorum Corbione amiſſum præſidium, nunciatum eſſet. Senatum Conſules vocant. jubentur ſubitarium ſcribere exercitum, & in Algidum ducere*. Paulloque poſt: *Horatius, quum jam Æqui, Corbione interfecto præſidio, Hortanam etiam cepiſſent, in Algido pugnat: multos mor-*

2. Vid. lib. 14. de Tuſculan. cap. 2.

ta-

tales occidit : fugat hoſtem non ex Algido modo, ſed a Corbione Hortanaque. Corbionem etiam diruit, propter proditum præſidium. Cui Dionyſius conſonans, *Horatius*, inquit, *hoſte profligato, magnaque agri parte pervaſtata, demum Corbionis tum mœnia, tum privata ædificia funditus evertit: atque ita reduxit exercitum.* Anno hæc V. C. ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, ante Chriſtum natum quadrigenteſimo quinquageſimo ſexto contigere. Atque hæc Corbionis oppidi poſtrema apud eos Hiſtoricos mentio. Quamquam autem ab Æquis Corbionem poſſeſſum, ex hactenus recitatis teſtimoniis audieris; id tamen nonniſi per vim occupatione atque invaſione facta, fuiſſe, certum eſt. Cum, ceteroquin Corbio Latinorum antea fuiſſet, & ab ipſis Romanis præſidio munitum oppidum. Dionyſius enim libro quinto, in Conſulatu Auli Poſthumii Augurini, & Titi Virginii Tricoſti, qui V. C. ducenteſimo quinquageſimo octavo recenſetur, hæc memoraverat: *Speculatores nunciant, Latinos iter ingreſſos eſſe cum toto exercitu. & mox alii, repentino eos adventu occupaſſe Caſtellum Corbionem, in quo præſidium quoddam erat Romanorum cuſtodiens modicum, quos illi ad unum occiderunt; eumque locum fecerunt belli receptaculum*. Mox: *His cognitis, Poſthumius, celeriter occurrit hoſtibus; properatoque per noctem itinere, cum ſuis copiis venit prope caſtra Latinorum, ad Lacum Regillum*. Ex quibus, Corbionem in Latinorum regione ſitum, & Romanorum prius ditionis, ab ipſis La-

Latinis, mox Æquis occupatum, & diuturni belli una cum Algido, cui propinquum erat, sedem factum, plane perspicimus. Quamquam autem situm ipsum Oppidi, ubi olim fuerit, ex productis testimoniis designare adhuc nequeamus; illud tamen protinus ultra Algidum, circa Lavicanam Viam, prope Regillum Lacum, & Prænestinos ac Pedanos Campos extitisse, merito conjectamur. Quod etiam alio Dionysii testimonio confirmari posse putamus,
3. Lib. 8. de Marci Coriolani rebus ajentis 3.: *Marcius hinc exercitum adversus Lavicanos duxit. quorum oppido capto, captivos sub hasta vendidit. Inde copias ad Pedanorum oppidum traduxit. quod & ipsum primo impetu cepit. Postridie, prima luce, ad Corbionem duxit exercitum*. In monte situm Corbionem fuisse crediderim, cum ab Dionysio *Castellum* appelletur; quo vocabulo munita in montibus loca a natura præcipue, nominabant; quæ posteris deinde temporibus *Rocche* dicta sunt. Holstenius Corbionem oppidum loco, ubi nunc recens Castellum *Rocca Priora*, aut certe haud multum distanti, sedisse, existimavit. Quam sententiam neque laudantes, neque vituperantes nos hic memorasse, satis fuerit.

In finibus pariter Algidensium aliud fuisse olim Latinæ Regionis Oppidum ab Æquis sæpe occupatum videtur, *Bola*, *Vola*, & *Bolæ*, aut *Volæ*, nomine. Livio id, Dionysio, Virgilio, & Stephani Breviatori memoratur. Quorum postremus hic Βῶλα, inquit, ὡς Νῶλα, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν, Βωλανοὶ, ὡς

Νω-

Νωλανοί. quod est: *Bola, ut Nola, oppidum Italiæ. Gentilitium: Bolani, ut Nolani*. Virgilius Bolam ab Albanis vel conditam, vel certe suorum Coloniam deductam celeberrimis versibus significavit. 4. 4. Lib. 6.

At, qui umbrata gerunt civili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios, Castrumque Inui, BOLAMQUE, *Coramque.*
Hæc tum nomina erunt. nunc sunt sine nomine terræ.

Quod autem Bolæ Algidensi regioni fuerint finitimæ, ex Dionysio, multoque magis ex Livio eruimus. Dionysius 5. namque inter Coriolani iter infestum ad Urbem, ejusque oppidorum per Latium direptionem *Imperator*, inquit, *copias hinc duxit ad Bolanorum oppidum*. atque aliquanto post: *expugnato eo quoque oppido, exercitum adversus Labicanos duxit*. Livius autem disertius libro quarto, *Æquos*, inquit, *triennio ante accepta clades prohibuit Volanis, suæ Gentis populo, præsidium ferre. Excursiones inde in confinem Lavicanum agrum factæ erant; novisque colonis bellum illatum*. Mox: *tentatum ab L. Sextio Tribuno plebis, ut rogationem ferret, qua Volas quoque, sicut Lavicos, coloni mitterentur, per intercessionem Collegarum, qui, nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate Senatus, passuros se perferri, ostenderunt, discussum est. Volis insequente anno, receptis, Æqui, Colonia eo deducta, novis viribus oppidum firmarunt. Tribunis militum Consulari potestate Cn. Cornelio Cosso, L. Valerio Potito,* 5. Lib. 8.

Rr *Q. Fa-*

Q. Fabio Vibulano iterum, M. Posthumio Regillensi: huic bellum adversus Æquos permissum est, pravæ mentis homini, quam tum victoria magis, quam bellum ostendit. nam exercitu impigre scripto, ductoque ad Volas, quum levibus præliis Æquorum animos fregisset; postremo in oppidum irrupit. Et libro sexto: *victor Camillus ex Volscis in Æquos transiit, & ipsos bellum molientes. exercitum eorum, & Bolas oppressit. nec castra modo, sed urbem etiam adgressus, impetu primo cepit.* Diodorus denique 6.: *Dictator, Bolas ab Æquis, qui nunc Æquiculi vocantur, oppugnari audiens; ductis eo copiis, maximam obsidentium partem trucidavit.* Porro Bola, aut Vola, quasi medium alicujus planiciei, dictum, a manus planiciei similitudine, quæ proprie *Vola* Latinis dicta est. Ut etiam *Volaterræ* vetustissimum Etruriæ oppidum, quasi terræ medium. Bolas Cluverius fuisse putavit haud ita procul recenti oppido, nomine *Zagarolo*. Bolanam Familiam, ex hoc oppido Romam venisse crediderim, ex qua Bolanus ille, cujus Horatius meminit.

6. *Lib. 14. in fine.*

7. ——— *o te Bolane cerebri*
Felicem, ajebam tacitus.

7. *Sat. 9. l. 1.*

Ceterum de Bola oppido, quod ultra Algidum fuit in montibus circa Præneste, cum de Prænestinis agemus, opportunior sermo recurret. 8.

8. *Vet. Lat lib. 16. cap. 12.*

Hortana quoque oppidum ultra Algidum montem fuit, in confinio Latinorum Æquorum & Hernicorum. Aliis tamen *Hortona* pro *Hortana* memoratur. De illo Livius atque Dionysius non semel.

mel. Unum alterumve ex illis testimonium huc adduxisse satis esto. Livius 9. *Senatum Consules vocant: jubentur subitarium scribere exercitum, & in Algidum ducere.* Et paullo post: *Horatius, cum jam Æqui, Corbione, interfecto præsidio, Hortanam etiam cepissent, in Algido pugnat. multos mortales occidit: fugat hostem non ex Algido modo, sed a Corbione Hortanaque.* Dionysius vero 10.: *Æqui etiam, nuper devicti, arma resumserunt. & misso per noctem juventutis robore, Corbionis præsidium sopitum adgressi interfecerunt. ceteri magno numero egressi* Virtonem *Latinæ Gentis oppidum primo impetu ceperunt.* Hic enim cum Cluverio putamus de Hortona seu Hortana sermonem esse; quod oppidum *Virtonem* a Græcis vel auctoribus, vel certe Dionysii librariis, ita corrupte fuerit nominatum. Quod idem dicendum de Livii *Artona*, merito existimamus, ubi vulgata exemplaria habent 11.: *Cæso Fabius & Sp. Furius Consules fiunt. Artonam Latinam Urbem Æqui oppugnabant.* Cujus oppugnationis in descriptione, Dionysii exemplaria, corruptius adhuc habent *Horos* 12. pro *Hortona*. Eodem igitur tractu, ultra Algidum, circa Præneste ac Lavicos, fuit Hortona veterum Latinorum Oppidum.

9. *Liv. l. 5.*

10. *Lib. X.*

11. *Lib. 2.*

12. *Lib. 8. in fine.*

Neque *Ecetra*, sive *Echetra*, ut Græci maluerunt, multum exinde distasse videtur, Oppidum quondam celebre; Volscorum quidem, verum in Latinorum vicinia & confinio quammaxime, situm ultra Algidum in montibus. Populi *Ecetrani*, sive

13. Lib. 4. *Echetrani* appellati. Dionysius 13.: *Volscorum duo tantum Populi adsenserunt. Echetrani atque Antiates.* 14. Lib. 2. Et Livius 14.: *Decedentem Romam Ecetranorum Volscorum Legati rebus suis timentes, post Pometiam captam, adeunt. his ex Senatus Consulto data pax; ager* 15. Lib. 6. *ademtus.* Quod ipsum Dionysius confirmat 15.. De fœdere Ecetranorum cum ceteris Volscis, ac præcipue Antiatibus, idem Livius libro tertio, & Dionysius octavo. Dionysii verba: *Convenerunt undique honoratiores pariter, & magna reliquæ turbæ multitudo Echetram. hæc quippe urbs ad ceterarum comitia aptissimo loco sita esse videbatur.* Dionysius iterum libro decimo: *Fabius, reddito civibus Tusculo sub vesperam, quanta celeritate potuit, in hostem inde movit; audito, ad Algidum esse totum Volscorum exercitum, & continuato per totam noctem itinere, sub lucem se ostendit hostibus in campo stativa habentibus. Captis nullo negocio castris, Echetram exercitum duxit: quæ tunc clarissima erat Volscorum, & optimo loco sita urbs.* Ex quibus merito Cluverius colligit, Ecetram ultra & Tusculum, & Algidum fuisse; Coram inter Volscorum, atque Hernicorum Anagniam; qua Volscis Æqui simul & Hernicis fuere contermini. Quod ex aliis quoque Livii congestis testimoniis confirmat. Quod autem in montibus fuerit Ecetra, Livius 16. Lib. 4. idem sic disertissime 16. *Q. Servilius & L. Geganius læva ad montes Ecetram pergunt.* Denique Livius eodem libro situm oppidi hujus designavit his verbis: *Cum Volscis inter Ferentinum atque Ecetram signis collatis*

tis dimicatum. Romanis secunda fortuna pugnæ fuit.

Eodem denique tractu, Regione Algidina, ultra Corbionem, *Vitellia* fuit Oppidum atque Colonia. Æquorum quidem, verum Latinis finitima. Livius de Coriolano 17. locutus: *tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos, Pedum cepit.* 17. Lib. 2. Et libro quinto: *Vitelliam Coloniam Romanam in suo agro Æqui expugnant. colonorum pars maxima incolumis (quia nocte proditione oppidum captum liberam per aversa fugam dederat) Romam perfugere.* Svetonius quoque in Vitellio 18.: *Indicia stirpis diu mansisse Viam Vitelliam ab Janiculo ad mare usque. item Coloniam ejusdem nominis, quam Gentili copia adversus Æquiculos tutandam olim depoposcissent.* 18. Cap. 1. *Bitillia* idem oppidum Græcis aliquando dictum. Aliis *Vicellia*. Apud Plinium 19. in Veteri Latio populi leguntur 19. Lib. 3. c. 5. *Vicellenses* sive *Vicellienses*, quos ex Vitellia denominatos, corrupte, merito cum Cluverio putamus. Iidem eidem *Vitellienses*, & *Vitellini* nominati; inter Antiquos Latinos excisos sine vestigiis. Ex quibus omnibus prudenter colligimus, Oppida, Corbionem, Hortanam, Bolam, Ecetram, atque Vitelliam circa & ultra Algidum fuisse, Latinis in confiniis: & vero Algidensi Regioni contermina, inter loca, nunc, *Montefortino, Valmontone, Ostaria di mezza Selva, Ferentino, &c.* At horum Populi vel antiquissimis temporibus Volscorum proprie, Æquorum, atque Hernicorum Pars fuerunt. Urbium autem ipsarum situs (siquidem eæ sub prima Roma-

no-

norum ſæcula exciſæ videntur) ſubſecutis ætatibus in Novo Latio a Scriptoribus fuit comprehenſus. Ne igitur ultra propoſitos nobis Veteris Latii terminos longius nimis evagemur, ulteriori eorumdem Oppidorum veſtigationi, ac deſcriptioni parcemus.

FINIS LIBRI DECIMIQUINTI.



INDEX RERUM
MEMORABILIUM
Quæ in his libris continentur.

A

Actæonis *fabula sarcophago insculpta, Via Lavicana.* pag. 303
Ad Columen *locus forte ubi nunc oppidulum* La Colonna *in Agro Tusculano.* 55
Ad duas Lauros *locus celebris Via Lavicana.* 296
Ædes *Castoris & Pollucis Tusculi.* 173
Ædificia *& oppida in Tusculano de cœmentis veteris Tusculi excitata permulta.* 28
Æqui *ab Tusculanis sub jugum missi.* 54
Æqui *Æquani Æquicolæ unde dicti.* 251.
Æqui *sedem belli adversus Romanos in Algido diutissime tenuerunt.* 242 *& seqq.*
Æqui *Tusculanum Agrum depopulantur.* 59
Ager *Tusculanus ab Æquis Volscis & Hernicis sæpe devastatus.* 47 *& seqq.*
Agri *Tusculani felicitas.* 178
Agri *Tusculani felicitas plurimarum in eo villarum causa.* 84
Agri *Tusculani præcipui fructus antiquitus commendati.* 185. *& seqq.*
Albanorum *Colonia Tusculum deducta.* 76
Albanus (*Annibal Cardinalis*) *laudatus.* 81
Albinianum *Rus Tusculanum & Albanum.* 141
Alcimachi *Militis sepulcrum in Tusculano.* 156
Alcimi *pueri sepulcrum Via Lavicana.* 296
Aldobrandina (*Olympia*) *Tusculanæ Sanctissimi Nominis Jesu Ædis Fund.* 13
Algentiana *Aqua quæ.* 259
Algidenses *rusticationes.* 261
Algidenses *silvæ.* 261
Algidensia *pascua.* 260
Algidensis *Regionis natura.* 247
Algidensium *variæ appellationes.* 250
Algidianum *Memmianum.* 266
Algidi *oppidi jamdiu diruti vestigia ubinam.* 248
Algidi *regionis situs.* 242
Algidi *varia vocabula.* 245
Algidum *olim Romanis terrori fuit.* 252.
Algidum *quid fuerit.* 241
Algidus *Mons ab Albano Monte diversus.* 246
Alphius *fœnerator num rus habuerit in Tusculano.* 141
Amadeorum *vinea Tusculana.* 155
Amblasinus *Fundus Tusculanus.* 142
Ancariorum *inscriptus lapis in Tusculano.* 76
Anglorum *Collegii in Urbe villa & prædia in Monte Porcio.* 214
Annæorum *lapis in Tusculano.* 144
Annibal *in Algido.* 262
Annibalis *Campi in Algido ubinam fuerint.* 263
Annibal *Labicanorum agrorum fertilitate usus.* 292
Anthusæ *sepulcrum in Tusc.* 154
Antiquæ *urbis Tusculi situs loco, qui nunc vulgo dicitur* il Tuscolo *in omnibus optime congruit.* 27. *& seqq.*
Apicii *gulosorum principis Rus Tusculanum.* 142
Appius *Herdonius Sabinus Capitolium Romæ vi occupat.* 49

Apsaniana *prædia in Tusculano*. 138
Aquæ *Agrum Tusculanum irrigantes*. 185
Aquæ *pro Tepula habitæ Monumenta*. 89
Aqua *Crabra etiam Damnata, & Julia dicta*. 90
Aqua *Crabra in Agro Tusculano*. 88
Asinius *extra Portam Exquilinam occisus*. 296
Ara *Solis in Tusculano*. 133
Arcanum *Ciceronis prædium prope Arpinum*. 94
Archiæ *versus de Græcorum Ludis*. 148
Arx *antiqui Tusculi ab Æquis occupata, Romanorum auxilio recipitur*. 53
Aureliæ *Gentis prædia Tusculana*, 141
Aureliæ *Statiliæ lapis in Tusculano*. 145

B

Baldinus (*P. Jo. Franciscus Congreg. Somasch.*) *laudatus*. 177
Bambalio *Tusculanus*. 233
Bella *in Algido decertata*. 250 & *seq.*
Benedictus (*Petrus*) *Maronita Soc. Jesu laudatus*. 81
Bestiarium *L. Luculli in Tusculano*. 119
Bibliothecæ *locupletissimæ L. Luculli in Tusculano*. 127
Bivium *seu Birium quid*. 300
Blancus (*Franciscus Tusculanus*) *quæ detexerit nuper in Tusculano Veterum monumenta*. 236
Bolam *Colonia deducta*. 313
Bolana *Familia* 314
Bola *oppidum unde dictum*. 314
Borgia (*S. Franciscus*) *aquarum venas salubres Tusculi reperit*. 13

C

Cacoethes *de omnibus dubitandi, & omnia in dubium revocandi damnatum*. 2
C. Arunceii *lapis apud oppidum* la Colonna. 302
C. Asinii *Pollionis Rus Tusculanum*. 164
C. Cælii *lapis*. 159
C. Cilnii *Mecænatis Tusculana Rura*. 165
C. Coponii *Crescentis Tusculanensium Decuriæ Quæstoris lapis*. 78
C. Julii *Cornuti Monumentum prope Montem Porcium*. 215
C. Julii *Phronimi lapis* 173
C. Plinius *Cæcilius prædia habuit Tusculana*. 166
Calpurniæ *Prætextatæ Virginis Vestalis Maximæ lapis*. 216
Capitolium *Romæ ab Sabinis occupatum, Tusculanorum auxilio magna ex parte Romani receperunt*. 49
Cassiæ *Magnæ lapis in Tusculano*. 151
Castores *apud Lacum Regillum pro Romanis pugnasse crediti*. 179. & *seqq.*
Cato *Grammaticus villam habuit in Tusculano*. 212
Centronia *Villa in Tusculano*. 85
Centroniorum *nomen & locus in Tusculano quid fuerit*. 157
Chalciopea *fons in Tusculano*. 136
Christianorum *antiqui Tusculi monumenta detecta*. 11
Ciceronis *de Municipio Tusculano testimonium honorificentissimum*. 75
Ciceronis *Tusculanæ villæ præcipua ejusdem opera debemus*. 99
Ciceronis *Tusculanarum Quæstionum argumenta*. 100
Ciceronis *Tusculani mentio frequens in ejus ad Atticum epistolis*. 94 & *seqq.*
Ciceronis *Tusculani præcipuæ partes*. 95
Ciceronis *Tusculanum domini sui deliciæ, ac tranquillus recessus*. 99
Ciceronis *Villa Asturæ*. 102
Ciceronis *Villa Lanuvina*. 102
Cicero *Tusculanum suum a P. Clodio incensum recuperat, & publica pecunia restituit*. 101 & 102

Cin-

Cincia *vinea Tusculana*. 153
Circe *Telegoni Conditoris Tusculi mater forte culta a Tusculanis*. 175
Cl. Irenici *lapis in Tusc.* 151
Claves *Urbis Tusculanæ excisæ diu Romæ de Gallieni Fornice suspensæ*. 80
Clemens XI. P. M. *laudatus*. 81
Clivus *mollissimus Tusculanus ubi olim fuerit*. 25
Cloelius *Gracchus Æquorum Dux contra Tusculanos*. 56
Ejus superbia punita. 58
Cluverii (*Philippi*) *de situ antiquæ urbis Tusculi vera sententia quæ*. 17
Coccejanum *Rus in Tusculano*. 86
Coccejanum *villa Coccejorum in Tusculano*. 161
Cœnare *in Apolline quid sit*. 116
Cœnarum *L. Luculli in Tusculano luxuries*. 115
Collegii *Tusculani Soc. Jesu vinea ad Viam Tusculanam*. 154
Collis *Corne in Tusculano ubi fuerit*. 170
Consules *Tusculanorum Magistratus*. 42
Contuccius (*P. Contuccius S. J.*) *laudatus. Veterum monumenta nuper detecta prope Rufinellam Collegii Romani S. J. villam in Monte Tusculano diligenter recensuit*. 240
Corbionis *oppidi vicinia*. 312
Corbio, *sive Corvion Latinorum oppidum direptum*. 310
Corneliorum *lapis in Tusculano*. 153
Cornuficiorum *villa in Tusculano*. 86
Corradinus (*Petrus Marcellinus*) *Cardinalis Veteris Latii Historiæ Mecœnas optimus commendatus*. 122
Coruncania *Gens Tusculana*. 229
Crassi *Villa in Tusculano*. 108
Crypta *Ferrata unde dicta*. 105
Cusiniorum *monumenta in Tusculano*. 159

D

Dalmatiorum *Monumenta Via Lavicana*. 298
Deliciæ *L. Luculli contra Puteolos, ad Lacum Circejensem, & in Tusculano*. 112
Dianæ *sacrum Nemus & Templum in Colle Corne in Agro Tusculano*. 170
Dianæ *Templum in Algido*. 279
Dictator *Magistratus olim supremus Tusculanorum*. 66
Dictator *Tusculanus suos Romæ apud Senatum crimine defectionis purgat*. 64 & 65
Dii *Consentes qui*. 267
Doctorum *virorum de Antiqui Tusculi situ Disquisitio & Pervestigatio diligentissima*. 25. & *seqq.*
Doctorum *virorum de situ veteris urbis Tusculi concors & vera sententia*. 30
Dolichenus *sive Dulychius Juppiter quare cultus a Tusculanis*. 34
Drusus *Tiberii Cæsaris pater rus habuit Tusculanum*. 142

E

Ecetrani, *sive Echetrani populi*. 316
Ecetra *sive Ecetræ oppidum Latinorum*. 315
Equitis *Romani villa ornatissima in Tusculano*. 129
Eradianum *Rus Via Lavicana*. 298
Exquilina *Porta*. 294
Exquilinus *Campus*. 294

F

Fabia *Tribus*. 232
Fabiæ Anthusæ ara sepulcralis in Tusculano. 158
Fabii *unde dicti*. 230
Fabiorum *celebritas*. 231
Fabiorum *Gens Tusculana*. 230
Fabium *oppidum olim in Monte Albano*. 246
Fabretti (*Raphaelis*) *de antiqui Tusculi*

sculi situ sententia. 18
Falconeria *villa Tusculana elegantissima*. 145
Familia & *Gens quid sint, & in quo differant*. 217
Fanniæ *Sementivæ lapis*. 235
Figulinarum *sigilla in Tusculano reperta*. 155
Flaviæ *Albinæ lapis*. 266
Flaviæ *Daphne lapis in Tusculano*. 144
Fodina *lapidis Tusculani*. 188
Forum, *oppidum olim in Monte Albano*. 246
Furia *Gens Tusculana*. 226
Furiorum *inscriptiones*. 226
Furiorum *sepulcrum in Tusculano*. 226.

G

GAlli *Favonii lapis Via Latina*. 272
Gamæliorum *Monumenta in Tusculano*. 139
Gaviæ *Helpidis sepulcrum in Tusculano*. 163
Geminius *Metius Tusculanus a T. Manlio Consulis filio singulari certamine victus*. 70. & 71
Gregorius XIII. P. M. *Pagum Montis Porcii beneficentissime adauget*. 213

H

HErbasiorum *lapis in Tusculano*. 91
Hercules *cultus a Tusculanis*. 173
Herculis *fortasse templum in Tusculano*. 174
Hermathena *quid*. 91
Hermeraclæ *quid*. 97
Holstenii (*Lucæ*) *de Algido Monte sententia*. 249
Holstenii (*Lucæ*) *de situ antiquæ urbis Tusculi sententia pluribus confutata*. 16 & *seqq.*
Hortana *oppidum Latinorum*. 314
Hortanenses *Populi*. 315

I

ILex *stupendæ magnitudinis in Agro Tusculano*. 170
Imp. *Didii Juliani sepulcrum Via Lavicana*. 297
Imp. *Severi Alexandri & Mammeæ ejus matris sepulcrum olim Via Lavicana*. 297
Jovi & *Dianæ facta dedicatio*. 170
Juliæ *Julianæ lapis*. 237
Julii *Aspri bis Consulis lapis erutus nuper in Tusculano*. 237
Julii *Cæsaris Lavicanum*. 292
Juliorum *Monumenta in Tusculano*. 144
Juliorum *monumentum in Tusculano*. 162
Junonis *Dedicatio Tusculana*. 172
Juventia *Gens Tusculana*. 229

K

KIrcherii (*Athanasii*) *diligentissima de veteris urbis Tusculi situ & ruderibus pervestigatio*. 10

L

LAbeonianum *Rus Tusculanum*. 141
Labicana *Arva fertilia*. 291
Labicanum *Municipium desertum*. 291
Labici *excisi Plinii ætate*. 303
Labici *Montes*. 293
Labici *oppidi situs ubinam*. 289
Labici *Romanorum Colonia ex iis, quæ Priscæ dictæ sunt*. 291
Labici *scuta picta quid significaverint*. 290
Labicum *oppidum unde dictum*. 293
Labicus *senex Bellator*. 293
Laterensis *Familia Tusculana*. 233
Latinæ Viæ *Monumenta*. 271
Latini *Arcis Tusculanæ obsessores, & intra urbem Tusculum a Romanis obsessi cæsique*. 67 & *seqq.*
Latonæ *Dedicatio ap. oppidum* Zagarolo. 302
Lavicanæ *Viæ stationes*. 294

Lavicanæ *Viæ stationes ex Holstenio.* 301
Lavicani *prædas in Agro Tusculano agitant.* 61
Lavicanis *Agrum Tusculanum depopulatis Romani bellum indicunt.* 61
Lavicanus *sacer Antistes.* 304
Lavicum *ab Romanis captum.* 62
Leslæi (*P. Alexandri Soc. Jesu*) *laus, & Tusculanorum aliquot lapidum recensio.* 146 *& seqq.*
Lesleus (*P. Alexander Soc. Jesu*) *laudatus.* 215
Libertini *hominis villa ornatissima in Tusculano.* 129
Licimniana *sepulcra Via Lavicana.* 299
Liciniæ *Gentis libertorum lapides.* 161
Liegerinum *Prædium in Tusculano.* 139
L. Annii *Fabiani lapis Via Latina.* 273
L. Annii *lapis in Tusculano.* 134
L. Cæsonii *Reipublicæ Tusculanorum Curatoris lapis.* 77
L. Caninii *lapis prope Montem Porcium.* 216
L. Jaboleni *lapis in Tusc.* 151
L. Licinii *Amassynthii villa ornatissima trophæis L. Luculli patroni sui in Tusculano.* 131
L. Ligarii *Tusculanum.* 142
L. Luceii *Historiarum scriptoris villa in Tusculano.* 107
L. Luculli *forte sepulcrum in Tusculano, ubinam.* 130
L. Luculli *in cibis intemperantia notata.* 130
L. Luculli *luxus a Cicerone notatus.* 128
L. Lucullus *junior patre Lucullo luxuriosior in cœnis.* 129
L. Quintius *Cincinnatus Dictator ab aratro Æquos devicit* 57 *& seqq.*
L. Sylla *Dictator Perpetuus Tusculani, quod postea fuit Ciceronis, olim dominus.* 98
Lucullanarum *villarum amplitudo in Agro Tusculano.* 109 *& seqq.*
Lupii (*P. Antonii Soc. Jes.*) *laus, & multorum in Tusculano veterum monumentorum accurata recensio.* 142 *& seqq.*

M

M Amiliæ *Gentis illustres viri.* 220
Mamiliorum *antiqui numi explicati.* 223
Mamiliorum *Gens & Familia Tusculana nobilissima.* 218
Mamiliorum *inscripti lapides.* 124
Manlianum *Rus Q. Ciceronis in Arcano.* 94
Mansueti *Stertinii lapis in Tusculano.* 152
M. Antonii *Abascanti lapis.* 235
M. Attii *lapis in Tusculano.* 234
M. Aurelii *Antonini Imp. Dedicatio in Tusculano.* 143
M. Bebii *Brix. Dictatoris lapis.* 159
M. Bruti *Oratoris villa in Tusculano.* 107
M. Cincii *Stephani lapis in Tusculano.* 153
M. Durmii *lapis.* 159
M. Furius *Camillus in Tusculanos movet.* 63
Marciorum *villa in Tusculano.* 86
M. Petronii *lapis in Tusculano.* 149
M. Porcii *Catonis Censoris lapides inscripti in Tusculano.* 200
M. Porcii *Catonis educatio severa in Tusculano.* 196
M. Porcii *Catonis in sua Tusculana villa frugalitas.* 199
M. Porcii *Catonis Junioris sive Uticensis vitæ breviarium.* 205 *& seqq.*
M. Porcii *Catonis res bello gestæ.* 197
M. Porcius *Cato Tusculanus.* 195
M. Scauri *villæ Tusculanæ ornatissimæ.* 164
M. Terentii *Phoroxini monumenta in Tusculano.* 140
M. Tullii *Ciceronis inscripti lapides in Tusculano.* 91 *&* 92

M. Tulli *Ciceronis Tusculanum forte duplex*. 88
M. Unionis *monumentum in Tusculano*. 150
Mariorum *villa in Tusculano*. 86
Matteii (*Barnabæ*) *de Tusculi veteris situ sententia rejecta*. 3 & *seqq.*
Medusiana *villa Tusculana*. 137
Mensa *duodecim Consentibus diis insculpta in Algido*. 266 & *seqq*
Metellianum *in Tusculano*. 137
Meviorum *Monumenta in Tusculano*. 137
Minervæ *Dedicatio in Tusculano*. 173
Mondraconia *villa Gentis Burghesiæ in Tusculano magnificentissima*. 143
Montis *Porcii prima quasi origo, & incrementa*. 213
Monumenta *Tusculanæ urbis excisæ in Capitolium invecta*. 80
Municipii *Concordiæ Juliæ Nertobrigens. in Hispania monumentum in Tusculano repertum*. 160
Municipii *Tusculani leges peculiares quædam*. 75
Municipium *Tusculanum Ciceronis ætate a populo infrequens*. 76
Murenarum *villa in Tusculano*. 86

N

NAturæ *portenta in Tusculano*. 187
Nikeliana *Turris prope Montem Porcium*. 214

O

OCtavius *Mamilius Tusculanorum Imperator bello adversus Romanos*. 43
Onesimi *Dispensatoris lapis in Tusculano*. 234
Oppidulum Rocca Priora, *sive* Spergiura, *unde dictum*. 82
Oppidum La Molara *a quibus conditum, & unde dictum*. 82
Ornamentorum *Tusculani Ciceronis Monumentum*. 92
Ornithones *L. Luculli in Tusc.* 118
Olla *Fab. in Tusculano*. 152

P

PAllotta *villa prope Montem Porcium*. 214
Pancratiastes, & *Pancratium quid fuerit*. 148
Papiria *Pagus in Agro Tusculano*. 190
Pascua *Algidensia felicissima*. 265
P.P. Lucensium *Matris Dei villa in Tusculano cujus olim*. 132
Periodonica *quis dictus*. 148
Petroniorum *Prædia Tusculana*. 142
Phæbi *sepulcralis Inscriptio Tusculana*. 163
Pinacothecæ *L. Luculli quid*. 125
Piscinæ *mirabiles L. Luculli*. 123
Plancia *villa in Tusculano quæ*. 85
Plautianum *in Tusculano*. 140
Plutarchi *testimonium de Villis Tusculanis L. Luculli*. 114
Plutiorum *lapis in Tusculano*. 236
Poblicolarum *Sanctæ Crucis Familia Romæ illustris*. 229
Pollianum *in Tusculano*. 140
Pollia *Romana Tribus Tusculanis infensa*. 72
Popiliorum *lapides in Tusc.* 158
Porciæ *Gentis illustres viri ex Gellio*. 203
Porciæ *Gentis inscripti lapides*. 210
Porciæ *Gentis nomen unde derivatum*. 201
Porciæ *uxoris Bruti virtus*. 209
Porciorum *inscriptus lapis*. 216
Porciorum *villæ Tusculanæ vestigia ubi*. 213
Porcius *Latro orator*. 210
Ejusdem versus. 211
Porcius *Mons patria M. Porcii Catonis*. 195 & *seqq.*
Posthumianus *Fundus in Tusculano*. 140
Posthumius *Tubertus de Algidensibus triumphat*. 258
Prænestini *Tusculanos Agros depopulantur*. 62
Prata *Porcia in Tusculano*. 86
Prata *Porcia quid*. 216
P. Clodius *Tusculanum Ciceronis incen-*

tendit. 101
P. Marcius *capite plexus Via Lavicana*. 294
Pupiniæ *Agri in Tusculano cultores qui*. 192
Pupinia *Pagus in Agro Tusculano*. 190
Puticuli, *vel Puticulæ quid*. 295
Pyrtianum *in Tusculano*. 140

Q

Quietis *Fanum Via Lavicana*. 296
Quindecim *Viri sacris Dianæ faciundis in Algido*. 285
Quinquerio *quid*. 148
Quintanenses *Labicani*. 300
Quintia *Gens num fuerit Tusculana*. 227
Q. Ciceronis *Tullii fratris villa in Tusculano*. 106
Q. Horatii *Flacci Poetæ villa candens Tusculi superni*. 165
Q. Hortensii *Bestiarium in Laurentino*. 120
Q. Hortensii *Oratoris villa in Tusculano*. 107
Quo *anno Vetus Tusculum fuerit excisum*. 81

R

Amiorum *monumenta in Tusculano*. 169
Rapa *Algidensia celebria*. 265
Raphanus *Algidensis*. 365
Regillus *Lacus celeberrimus in Tusculano quis fuerit, & quomodo nunc appelletur*. 179 & *seqq*.
Regillus *Lacus in Agro Tusculano quis*. 44
Rhanidis *Sulpiciæ L. Monumentum in Tusculano*. 159
Roborea (*Lucretia*) *B. Magdalenæ Sacelli Tusculani Auct*. 13
Roccia *Villa Tusculana culta*. 146
Romani *cum Tiburtinis crudeliter in Tusculanos invecti*. 79
Rufinella, *olim Sacchetta, Villa Collegii Romani S. J. optimo loco in Monte Tusculano*. 239

S

Sacrorum *Tusculanorum Monumenta*. 176
Sanctæ *Mariæ in Vivario sacra Ædes Tusculi cur sic vocata*. 12
S. Bartholomæus *B. Nili Junioris socius in Tusculano*. 104
Sanctus *Nilus Junior in Tusculano*. 104
Savinus (*P. Andreas S. J.*) *laudatus*. 232
Sempronii *Tucidani lapis Via Latina*. 272
Senatus *Tusculanus Romam pergit ad purgandas suorum accusationes*. 64
Ser. *Septimii Galbæ Imperatoris villa in Tusculano*. 132
Servorum *commune sepulcrum in Campo Exquilino*. 295
Sex. *Coccei lapis*. 159
Silani *fragmentum in Tusc*. 148
Simonidis *carmina de Græcorum certaminibus*. 154
Sodalitium *sacrorum Tusculanorum*. 175
Sorani *Ducis Primogenitus Dux Arcis appellatus*. 94
Sosimi *Structoris Monumentum in Tusculano*. 145
Spolia *de Tusculanis a Tiburtibus asportata*. 80 & 81
Stationes *Viæ Latinæ*. 273
Sratuarum *copia in villis L. Luculli*. 124
Strabonis *de situ veteris Tusculi apertissimum testimonium*. 3
Strabonis *testimonii de Tusculi situ genuina explicatio*. 5

T

Elegoni *Conditoris Tusculi Fabula*. 33
Telegonus *Ulyssis & Circes filius veteris urbis Tusculi Conditor communiter habitus*. 30 & *deinceps*.
Temenos *quid fuerit*. 149

Thæmianum *in Tusculano*. 136
Thallsiana *prædia & monumenta in Tusculano*. 137
Thermarum *Lucullanarum vestigia in Tusculano*. 121
Ti.Claudii *Chlorei Militis sepulcrum in Tusculano*. 156
Tiro *M. Tullii Ciceronis Libertus a manu villam forte habuit in Tusculano*. 207
Tiro *M. Tul. Cic. Libertus in Tusculano*. 86
T. Anitii *Villa in Tusculano*. 108
T. Flavii *Philomusi lapis*. 235
T. Flavii *Procli lapis in Tusculano*. 235
T. Pomponii *Attici villa in Tusculano*. 107
T. Manlius *T. Consulis F. ob violatam militarem disciplinam, licet victor, a patre capitis plectitur*. 71
Trapezophoron *quid*. 91
Trivinii *lapis in Tusculano*. 176
Tryphosæ *lapis Tusculanus*. 162
Tulliola *Ciceronis filia in Tusculano mortua*. 100
Tusculanæ *antiquæ urbis situs*. 1 & *seqq*.
Tusculanæ *recentes villæ e ruderibus antiqui Tusculi passim constructæ*. 28
Tusculanæ *Veterum villæ intra antiqui Tusculi mœnia non fuerunt*. 14
Tusculana *Rusticatio frequentata ab Romanis in summis æstivis caloribus*. 167
Tusculanensium *Decuria*. 78
Tusculani *apud Romanos defectionis accusantur*. 63
Tusculani *cum Latinis reliquis fœderati contra Romanos*. 43
Tusculani *in Tribu Papiria inclusi*. 73
Tusculani *Jovem Majum coluerunt*. 168
Tusculani *Romanas Tribus ambiunt supplicia deprecaturi*. 72
Tusculani *Romanos e prælio, re male gesta, revertentes comiter & amice suscipiunt*. 59
Tusculani *Senatus in Romana Curia oratio*. 65.
Tusculani *socii Romanorum appellati*. 41
Tusculanis *pleno jure Romana Civitas data*. 74
Tusculanorum *artes cum Romanis*. 64. & *seqq*.
Tusculanorum *contra Romanos pugna apud Regillum Lacum*. 44 & *seqq*.
Tusculanum *Ciceronis, nunc Collegium Assectarum Sancti Basilii Magni, vulgo* La Badia di Grotta Ferrata. 104
Tusculi *antiquam urbem haud ita magnam fuisse, Veterum de testimoniis eruitur*. 15
Tusculi *veteris Conditor quis*. 30 & *deinceps*.
Tusculi *urbis Conditæ tempus quod*. 35
Tusculi *urbis nomina varia apud Græcos, & eorum origines*. 36 & *seqq*.
Tusculum *Albanorum Colonia*. 40
Tusculum *etiam* Δύσκολον *dictum, & unde*. 6
Tusculum *Latini Nominis Urbs*. 40
Tusculum *Municipium honestissimum* 73
Tusculum *Municipium, idemque honestissimum & antiquissimum*. 75
Tusculum *novum* Frascati, *non vero* Frescati *nominatur*. 12
Tusculum *novum cur* Frascati *appellatum*. 12
Tusculum *quare* Ἀκροτέριον *appellatum*. 6
Tusculum *urbs olim populosa, & commerciis ac literis frequens*. 64
Tusculus *Collis, non Tusculum urbs, Straboni dictus irriguus*. 23

V

Valeria *Gens num fuerit Tusculana*. 229
Vecilius *Mons prope Algidum*. 256
Vergiliorum *Monumenta in Tusculano*. 153
Verriorum *Marmor Tusculanum*. 162
Veteris *Tusculi excidium*. 79

Veterum *Villæ in Tusculano enumeratæ*. 85
Viæ *Latinæ lapides inscripti ex Fabretto*. 275.76.77.78
Viæ *Tusculanæ antiquæ adhuc apparentia vestigia ubi*. 20
Viæ *Lavicanæ inscripti lapides ex Fabretto*. 304. & *seqq.*
Via *Tusculana quænam potissimum dicta*. 189
Villa *Ciampina Tusculana*. 151
Villæ *olim in Algido*. 261
Villæ *Veterum permultæ in Tusculano*. 135 & *seqq.*
Villa *Magna Via Lavicana, unde sic dicta*. 301
Villa *Sacchetta, nunc Collegii Romani Soc. Jesu prope Vetus Tusculum*. 87
Vilisari *monumentum in Tusculano*. 133
Virginii *Virginiæ patris funesta apud Algidum concio*. 256
Vitellia *oppidum*. 317
Vitellienses *seu Vitellini Populi*. 317
Volscorum *reliquiæ ab Tusculanis cæsæ*. 60
Ulpii *Firmi Domestici Græcum Monumentum in Tusculano interpretatum*. 147
Ulysses *Telegoni Conditoris Tusculi pater fortasse pro Deo habitus a Tusculanis*. 175

TABULÆ MONUMENTORUM

AC RUDERUM

In quibus Veteris Tusculi Agrique Tusculani Ædificiorum aliqua adhuc apparent vestigia, in his libris expressæ.

LIBRO DE TUSCULANIS.

TAB. I. *Tusculi veteris Situs & Constitutio*.

TAB. II. *Nonnulla Tusculanorum veterum Monumenta. scilic.* I. *C. Mamilii ex Gente Tusculana Numus, in quo Ulysses & Mercurius Telegoni Conditoris Tusculi Majores repræsentantur*. II. *Numulus Sodalitii Veterum Tusculanorum*. III. *Sulpiciæ Gentis origine Tusculanæ Numus apud Vesinum, in quo urbs Tusculum, & Castores, qui ad Regillum in Tusculano crediti sunt pugnasse, exhibentur*. IV. *Antiquæ Urbis Tusculi figura eodem ex numo*. V. *L. Luculli sepulchri vestigium prope Portam Tusculanam, nunc* di S. Pietro di Frascati, *privatæ domus intra fines inclusum*. VI. *Vetus fanum ne an sepulcrum? in Agro Tusculano, olim Rocciorum*. VII. *Antiqui ædificii cum gradibus, forte ad spectacula, in Tusculano monte vestigium*.

TAB. III. *Lucullanum in Agro Tusculano, vulgo* le Grotte di Lucullo, *o* il Centrone.

TAB. IV. *Lucullanarum Villarum in Tusculano subterranea Ædificia,* quæ

quæ sub Villa Roccia descendentibus atque rimantibus deprehenduntur, *ad locum vulgo* LI CENTRONI, *aut* LE GROTTE DI LUCULLO.

TAB. V. *Sub Villa Varesiana Piscina olim Lucullani*.

TAB. VI. *Ruinæ villarum Lucullanarum passim inter Marinum & Tusculum in Campis obviæ*.

TAB. VII. *Tusculanæ veteris Regionis & Conterminarum Exacta Descriptio*.

TAB. VIII. *Vera Delineatio Veteris Sepulchri Furiorum in Agro Tusculano detecti*.

TAB. IX. *Conditoria Cineraria una cum inscriptionibus in Sepulcro Furiorum Tusculano reperta*.

Ordo collocandarum Tabularum.

TABULA I.	pagina 40.	TABULA VI.	pag. 128.
TABULA II.	pag. 80.	TABULA VII.	pag. 192.
TABULA III.	pag. 128.	TABULA VIII.	pag. 232.
TABULA IV.	pag. 128.	TABULA IX.	pag. 232.
TABULA V.	pag. 128.		



